# De Consensu Evangelistarum (Latin)

Augustine of Hippo (AD 354–430)

SermonIndex.net / Church Fathers

# Contents

**Liber Primus** **1**

**Qvaestiones Siue Capitula Librorum Secundi, Tertii, Qvarti — Lib. II** **23**

**Lib. III** **29**

**Lib. IIII** **31**

**Liber Secundus** **32**

**Liber Tertius** **100**

**Liber Qvartus** **147**

# Liber Primus

Inter omnes diuinas auctoritates, quae sanctis litteris continentur, euangelium merito excellit. quod enim lex et prophetae futurum praenuntiauerunt, hoc redditum adque conpletum in euangelio demonstratur. cuius primi praedicatores apostoli fuerunt, qui dominum ipsum et saluatorem nostrum legum Christum etiam praesentem in carne uiderunt, cuius non solum ea, quae ex ore eius audita uel ab illo sub oculis suis operata dicta et facta memінerant, uerum etiam quae, priusquam illi per discipulatum adhaeserant, in eius natiuitate uel infantia uel pueritia diuinitus gesta et digna memoria siue ab ipso siue a parentibus eius siue quibuslibet aliis certissimis indiciis et fidelissimis testimoniis requirere et cognoscere potuerunt, inposito sibi euangelizandi munere generi humano adnuntiare curarunt. quorum quidam, hoc est Mattheus et Iohannes, etiam scripta de illo, quae scribenda uisa sunt, libris singulis ediderunt.

Ac ne putaretur, quod adtinet ad percipiendum et praedicandum euangelium, interesse aliquid, utrum illi adnuntient, qui eundem dominum hic in carne apparentem discipulatu famulante secuti sunt, an hi, qui ex illis fideliter conperta crediderunt, diuina prouidentia procuratum est per spiritum sanctum, ut quibusdam etiam ex illis, qui primos apostolos sequebantur, non solum adnuntiandi, uerum etiam scribendi euangelium tribueretur auctoritas. hi sunt Marcus et Lucas. ceteri autem homines, qui de domini uel de apostolorum actibus aliqua scribere conati uel ausi sunt, non tales suis temporibus extiterunt, ut eis fidem haberet ecclesia adque in auctoritatem canonicam sanctorum librorum eorum scripta reciperet, nec solum quia illi non tales erant, quibus narrantibus credi oporteret, sed etiam quia scriptis suis quaedam fallaciter indiderunt, quae catholica adque apostolica regula fidei et sana doctrina condemnat.

Isti igitur quattuor euangelistae uniuerso terrarum orbe notissimi, et ob hoc fortasse quattuor, quoniam quattuor sunt partes orbis terrae, per cuius uniuersitatem Christi ecclesiam dilatari ipso sui numeri sacramento quodammodo declararunt, hoc ordine scripsisse perhibentur: primus Mattheus, deinde Marcus, tertio Lucas, ultimo Iohannes. unde alius eis fuit ordo cognoscendi adque praedicandi, alius autem scribendi. ad cognoscendum quippe adque praedicandum primi utique fuerunt qui secuti dominum in carne praesentem dicentem audierunt facientemque uiderunt adque ex eius ore ad euangelizandum missi sunt. sed in conscribendo euangelio, quod diuinitus ordinatum esse credendum est, ex numero

eorum, quos ante passionem dominus elegit, primum adque ultimum locum duo tenuerunt, primum Mattheus, ultimum Iohannes, ut reliqui duo, qui ex illo numero non erant, sed tamen Christum in illis loquentem secuti erant, tamquam filii amplectendi ae per hoc in loco medio constituti utroque ab eis latere munirentur.

Horum sane quattuor solus Mattheus Hebraeo scripsisse perhibetur eloquio, ceteri Graeco. et quamuis singuli suum quendam narrandi ordinem tenuisse uideantur, non tamen unusquisque eorum uelut alterius praecedentis ignarus uoluisse scribere repperitur uel ignorata praetermisisse, quae scripsisse alius inuenitur, sed sicut unicuique inspiratum est non superfluam cooperationem sui laboris adiunxit. nam Mattheus suscepisse intellegitur incarnationem domini secundum stirpem regiam et pleraque secundum hominum praesentem uitam facta et dicta eius. Marcus eum subsecutus tamquam pedisequus et breuiator eius uidetur. cum solo quippe Iohanne nihil dixit, solus ipse perpauca, cum solo Luca pauciora, cum Mattheo uero plurima et multa paene totidem adque ipsis uerbis siue cum solo siue cum ceteris consonante. Lucas autem circa sacerdotalem domini stirpem adque personam magis occupatus apparet. nam et ad ipsum Dauid non regium stemma secutus ascendit, sed per eos, qui reges non fuerunt, exit ad Nathan filium Dauid, qui nec ipse rex fuit. non sicut Mattheus, qui per Salomonem regem descendens ceteros etiam reges ex ordine persecutus est seruans in eis, de quo postea loquemur, mysticum numerum.

Dominus enim Iesus Christus, unus uerus rex et unus ueras sacerdos, illud ad regendos nos, illud ad expiandos, has duas personas aput patres singillatim commendatas suam figuram egisse declarauit siue titulo illo, qui cruci eius superfixus erat, rex Iudaeorum, unde arcano instinctu Pilatus respondit: quod scripsi scripsi, praedictum quippe erat in psalmis: ne corrumpas tituli inscriptionem, siue, quod ad personam sacerdotis adtinet, in eo quod nos offerre adque accipere docuit, unde prophetiam de se praemisit dicentem: tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech. multisque aliis documentis diuinarum scripturarum rex et sacerdos Christus apparet. hinc et ipse Dauid, cuius non frustra crebrius filius dictus est quam filius Abrahae et quem communiter tenuerunt Mattheus et Lucas, ille a quo per Salomonem descenderet, iste ad quem per Nathan ascenderet, quamquam aperte rex fuit, figurauit tamen et sacerdotis personam, quando panes propositionis manducauit, quos non licebat manducare nisi solis sacerdotibus. huc accedit, quod solus etiam Lucas Mariam commemorat ab angelo manifestatam cognatam fuisse Elisabeth, quae uxor erat Zachariae sacerdotis. de quo idem scripsit, quod eam de filiabus Aaron, hoc est de tribu sacerdotum, habebat uxorem.

Cum ergo Mattheus circa regis, Lucas circa sacerdotis personam gereret intentionem, utique humanitatem Christi maxime commendarunt. secundum hominem quippe Christus et rex et sacerdos effectus est, cui dedit deus sedem Dauid patris sui, ut regni eius non esset finis et esset ad interpellandum pro nobis mediator dei et hominum homo Christus Iesus. non autem habuit tamquam breuiatorem coniunctum Lucas sicut Marcum Mattheus, et hoc forte non sine aliquo sacramento, quia regum est non esse sine comitum obsequio. unde ille, qui regiam personam Christi narrandam susceperat, habuit sibi

tamquam comitem adiunctum, qui sua uestigia quodammodo sequeretur, sacerdos autem quoniam in sancta sanctorum solus intrabat, propterea Lucas, cuius circa sacerdotium Christi erat intentio, non habuit tamquam socium subsequentem, qui suam narrationem quodammodo breuiaret. ia

Tres tamen isti euangelistae in his rebus maxime deuersati sunt, quas Christus per humanam carnem temporaliter gessit; porro autem Iohannes ipsam maxime diuinitatem domini, qua patri est aequalis, intendit eamque praecipue suo euangelio, quantum inter homines sufficere credidit, commendare curauit. itaque longe a tribus istis superius fertur, ita ut hos uideas quodammodo in terra cum Christo homine conuersari, illum autem transcendisse nebulam, qua tegitur omnis terra, et peruenisse ad liquidum caelum, unde acie mentis acutissima adque firmissima uideret in principio uerbum deum aput deum, per quod facta sunt omnia, et ipsum agnosceret carnem factum, ut habitaret in nobis, quod acceperit carnem, non quod fuerit mutatus in carnem. nisi enim carnis adsumtio seruata incommutabili diuinitate facta esset, non diceretur: ego et pater unum sumus, neque enim pater et caro unum sunt. et hoc de se ipso domini testimonium solus idem Iohannes commemorauit, et: qui me uidit, uidit et patrem, et: ego in patre et pater in me, et: ut sint unum, sicut et nos unum sumus, et: quaecumque pater facit, haec eadem et filius facit similiter, et si qua alia sunt, quae Christi diuinitatem, in qua aequalis est patri, recte intellegentibus intiment,. paene solus Iohannes in euangelio suo posuit, tamquam de pectore ipsius domini, super quod discumbere in eius conuiuio solitus erat, secretum diuinitatis eius uberius et quodammodo familiarius biberit.

Proinde cum duae uirtutes propositae sint animae humanae, una actiua, altera contemplatiua, illa qua itur, ista quo peruenitur, illa qua laboratur, ut cor mundetur ad uidendum deum, ista qua uacatur et uidetur deus: illa est in praeceptis exercendae uitae huius temporalis, ista in doctrina uitae illius sempiternae. ac per hoc illa operatur, ista requiescit, quia illa est in purgatione peccatorum; ista in lumine purgatorum. ac per hoc in hac uita mortali illa est in opere bonae conuersationis, ista uero magis in fide et aput perpaucos per speculum in enigmate et ex parte in aliqua uisione incommutabilis ueritatis. hae duae uirtutes in duabus uxoribus Iacob figuratae intelleguntur. de quibus aduersus Faustum Manicheum pro modulo meo, quantum illi operi sufficere uidebatur, disserui. Lia quippe interpretatur laborans\', Rachel autem (uisum principium\'. ex quo intellegi datur, si diligenter aduertas, tres euangelistas temporalia facta domini et dicta, quae ad informandos mores uitae praesentis maxime ualerent, copiosius persecutos circa illam actiuam uirtutem fuisse uersatos, Iohannem uero facta domini multo pauciora narrantem, dicta uero eius, ea praesertim, quae trinitatis unitatem et uitae aeternae felicitatem insinuarent, diligentius et uberius conscribentem in uirtute contemplatiua commendanda suam intentionem praedicationemque tenuisse.

Vnde mihi uidentur qui ex apocalypsi illa quattuor animalia ad intellegendos quattuor euangelistas interpretati sunt probabilius aliquid adtendisse illi, qui leonem in Mattheo, hominem in Marco, uitulum in Luca, aquilam in Iohanne intellexerunt, quam illi, qui

hominem Mattheo, aquilam Marco, leonem Iohanni tribuerunt. de principiis enim librorum quandam coniecturam capere uoluerunt, non de tota intentione euangelistarum, quae magis fuerat perscrutanda. multo enim congruentius ille qui regiam Christi personam maxime commendauit per leonem significatus accipitur. unde et in apocalypsi cum ipsa tribu regia leo commemoratus est, ubi dictum est: uicit leo de tribu Iuda. secundum Mattheum enim et magi narrantur uenisse ab oriente ad regem quaerendum et adorandum, qui eis per stellam natus apparuit, et ipse rex Herodes regem formidat infantem adque, ut eum possit occidere, tot paruulos necat. quod autem per uitulum Lucas significatus sit propter maximam uictimam sacerdotis, neutri dubitauerunt. ibi enim a sacerdote Zacharia incipit sermo narrantis, ibi cognatio Mariae et Elisabeth commemoratur, ibi sacramenta primi sacerdotii in infante Christo impleta narrantur, et quaecumque alia possunt diligenter aduerti, quibus appareat Lucas intentionem circa personam sacerdotis habuisse. Marcus ergo, qui neque stirpem regiam neque sacerdotalem uel cognationem uel consecrationem narrare uoluit et tamen in eis uersatus & ostenditur, quae homo Christus operatus est, tantum hominis figura in illis quattuor animalibus significatus uidetur. haec autem animalia tria, siue leo siue homo siue uitulus, in terra gradiuntur, unde isti tres euangelistae in his maxime occupati sunt, quae Christus in carne operatus est et quae praecepta mortalis uitae exercendae carnem portantibus tradidit. at uero Iohannes supra nubila infirmitatis humanae uelut aquila uolat et lucem incommutabilis ueritatis acutissimis adque firmissimis oculis cordis intuetur.

Has domini sanctas quadrigas, quibus per orbem uectus subigit populos leni suo iugo et sarcinae leui, quidam uel impia uanitate uel imperita temeritate calumniis appetunt, ut eis ueracis narrationis derogent fidem, per quos christiana religio disseminata per mundum tanta fertilitate prouenit, ut homines infideles iam inter se ipsos calumnias suas mussitare uix audeant conpressi fide gentium et omnium deuotione populorum. uerum tamen, quia nonnullos adhuc calumniosis disputationibus suis uel retardant a fide, ne credant, uel iam credentes, quantum potuerint, exagitando perturbant, nonnulli autem fratres salua fide nosse desiderant, quid talibus respondeant quaestionibus, uel ad prouectum scientiae suae uel ad illorum uaniloquia refellenda, inspirante adque adiuuante domino deo nostro - quod utinam et ipsorum saluti prosit — hoc opere demonstrare suscepimus errorem uel] temeritatem eorum, qui contra euangelii quattuor libros, quos euangelistae quattuor singulos conscripserunt. satis argutas criminationes se proferre arbitrantur. quod ut fiat, quam non sibi aduersentur idem scriptores quattuor, ostendendum est. hoc enim solent quasi palmare suae uanitatis obicere, quod ipsi euangelistae inter se ipsos dissentiant.

Sed illud prius discutiendum est, quod solet nonnullos mouere, cur ipse dominus nihil scripserit, ut aliis de illo scribentibus necesse sit credere. hoc enim dicunt illi uel maxime pagani, qui dominum ipsum Iesum Christum culpare aut blasphemare non audent eique tribuunt excellentissimam sapientiam, sed tamen tamquam homini, discipulos uero eius dicunt magistro suo amplius tribuisse quam erat, ut eum filium dei dicerent et uerbum dei, per quod facta sunt omnia, et ipsum ac deum patrem unum esse, ac si qua similia sunt in apostolicis litteris, quibus eum cum patre unum deum colendum esse didicimus. hono-

randum enim tamquam sapientissimum uirum putant, colendum autem tamquam deum negant.

Cum ergo quaerunt, quare ipse non scripserit, uidentur parati fuisse hoc de illo credere, quod de se ipse scripsisset, non quod alii de illo pro suo arbitrio praedicassent. a quibus quaero, cur de quibusdam nobilissimis philosophis suis hoc crediderint, quod de illis eorum discipuli scriptum memoriae reliquerunt, cum de se ipsi nihil scripsissent? nam Pythagoras, quo in illa contemplatiua uirtute nihil tunc habuit Graecia clarius, non tantum de se, sed nec de ulla re aliquid scripsisse perhibetur. Socrates autem, quem rursus in actiua, qua mores informantur, omnibus praetulerunt, ita ut testimonio quoque dei sui Apollinis omnium sapientissimum pronuntiatum esse non taceant, Aesopi fabulas pauculis uersibus persecutus est uerba et numeros suos adhibens rebus alterius, usque adeo nihil scribere uoluit, ut hoc se coactum imperio sui demonis fecisse dixerit, sicut nobilissimus discipulorum eius Plato commemorat, in quo tamen opere maluit alienas quam suas exornare sententias. quid igitur causae est, cur de istis hoc credant, quod de illis discipuli eorum litteris commendarunt, et de Christo nolint credere, quod eius de illo discipuli conscripserunt, praesertim cum ab eo ceteros homines sapientia superatos esse fateantur, quamuis eum fateri deum nolint? an uero illi, quos isto multo inferiores fuisse non dubitant, ueraces de se discipulos facere potuerunt et iste non potuit? quod si absurdissime dicitur, credant de illo, quem sapientem fatentur, non quod ipsi uolunt, sed quod aput eos legunt, qui ea quae scripserunt ab illo sapiente didicerunt.

Deinde dicant, unde saltem quod sapientissimus fuerit nosse uel audire potuerunt. si fama disseminante, certiorne de illo nuntia fama est quam discipuli eius, quibus eum praedicantibus ipsa per totum mundum fama fraglauit? postremo famam praeferant famae et ei famae de illo credant, quae maior est. ea quippe fama, quae de catholica ecclesia, quam stupent toto orbe diffusam, mirabili claritate dispergitur, tenues istorum rumores inconparabiliter uincit; ea porro fama tam magna, tam celebris, ut eam timendo isti trepidas et tepidas contradictiunculas in sinu suo rodant iam plus metuentes audiri quam uolentes credi, filium dei unigenitum et deum praedicat Christum, per quem facta sunt omnia. si ergo famam eligunt testem, cur non hanc eligunt, quae tanta claritate praefulget? si scripturam, cur non euangelicam, quae tanta auctoritate praepollet? nos certe haec de dis eorum credimus quae habet et scriptura eorum antiquior et fama celebrior. quae si adoranda sunt, cur ea rident in theatris? si autem ridenda sunt, plus ridendum est, cum adorantur in templis. restat, ut ipsi uelint testes esse de Christo, qui sibi auferunt meritum sciendi quid loquantur loquendo quod nesciunt, aut si aliquos . libros habere se dicunt, quos eum scripsisse adserant, prodant eos nobis. profecto enim utilissimi et saluberrimi sunt, quos, ut ipsi fatentur, uir sapientissimus scripsit. si autem timent eos proferre, utique mali sunt; porro si mali sunt, non eos sapientissimus scripsit; sapientissimum autem Christum fatentur: non ergo Christus tale aliquid scripsit.

Ita uero isti desipiunt, ut illis libris, quos eum scripsisse existimant, dicant contineri eas artes, quibus eum putant illa fecisse miracula, quorum fama ubique percrebruit: quod

existimando se ipsos produnt quid diligant et quid adfectent: quando quidem Christum propterea sapientissimum putant fuisse, quia nescio quae inlicita nouerat, quae non solum disciplina christiana, sed etiam ipsa terrenae rei publicae administratio iure condemnat. et certe qui tales Christi libros legisse se adfirmant, cur ipsi nulla talia faciunt, qualia illum de libris talibus fecisse mirantur?

Quid quod etiam diuino iudicio sic errant quidam eorum, qui talia Christum scripsisse uel credunt uel credi uolunt, ut eosdem libros ad Petrum et Paulum dicant tamquam epistulari titulo praenotatos. et fieri potest, ut sine inimici nominis Christi siue qui eiusmodi execrabilibus artibus de tam glorioso nomine pondus auctoritatis dare se posse putauerunt talia sub Christi et apostolorum nomine scripserint. in qua fallacissima audacia sic excaecati sunt, ut etiam a pueris, qui adhuc pueriliter in gradu lectorum Christianas litteras norunt, merito rideantur.

Cum enim uellent tale aliquid fingere Christum scripsisse ad discipulos suos, cogitauerunt, ad quos potissimum scribere potuisse facile crederetur, tamquam ad illos, qui ei familiarius adhaesissent, quibus illud quasi secretum digne committeretur, et occurrit eis Petrus et Paulus, credo, quod pluribus locis simul eos cum illo pictos uiderent, quia merita Petri et Pauli etiam propter eundem passionis diem celebrius sollemniter Roma commendat. sic omnino errare meruerunt, qui Christum et apostolos eius non in sanctis codicibus, sed in pictis parietibus quaesierunt, nec mirum, si a pingentibus fingentes decepti sunt. toto enim tempore, quo Christus in carne mortali cum suis discipulis uixit, nondum erat Paulus discipulus eius, quem post passionem suam, post resurrectionem, post ascensionem, post missum de caelis spiritum sanctum, post multorum Iudaeorum conuersionem et mirabilem fidem, post lapidationem Stephani diaconi et martyris, cum adhuc Saulus appellaretur et eos qui in Christum crediderant grauiter persequeretur, de caelo uocauit et suum discipulum adque apostolum fecit. quomodo igitur potuit libros, quos antequam moreretur eum scripsisse putari uolunt, ad discipulos tamquam familiarissimos Petrum et Paulum scribere, cum Paulus nondum fuerit discipulus eius?

Illud quoque adtendant, qui magicis artibus tanta potuisse et nomen suum ad populos in se conuertendos arte ipsa consecrasse delirant, utrum potuerit magicis artibus tantos prophetas diuino spiritu antequam in terra nasceretur implere, qui de illo talia futura praelocuti sunt, qualia iam praeterita in euangelio legimus et qualia in orbe terrarum praesentia nunc uidemus. neque enim, si magicis artibus fecit, ut coleretur et mortuus, magus erat antequam natus, cui prophetando uenturo gens una deputata est, cuius reipublicae tota administratio prophetia esset illius regis uenturi et ciuitatem caelestem ei omnibus gentibus condituri.

Proinde illius Hebraeae gentis ad prophetandum Christum, sicut am, deputatae nullus alius deus erat nisi deus unus, deus uerus, qui fecit caelum et terram et omnia quae in eis sunt. quo offenso saepe suis hostibus subdebantur, nunc etiam pro grauissimo scelere occisi Christi ex ipsa Hierosolyma, quod erat regni eorum caput, penitus eradicati et Romano imperio subiugati sunt. solebant autem Romani de dis gentium, quas subiugabant, colen-

dos propitiare et eorum sacra suscipere. hoc de deo gentis Hebraeae, cum eam uel obpugnauerunt uel uicerunt, facere noluerunt. credo, quod uidebant, si eius dei sacra reciperent, qui se solum deletis etiam simulacris coli iuberet, dimittenda esse omnia quae prius colenda susceperant, quorum religionibus imperium suum creuisse arbitrabantur. in quo eos plurimum fallacia demonum decipiebat. nam utique intellegere debebant occulta ueri dei uoluntate, penes quem rerum summa potestas est, sibi datum et auctum regnum, non illorum deorum fauore, qui si aliquid in hac re potestatis habuissent, suos potius protexissent, ne a Romanis superarentur, aut ipsos eis Romanos edomitos subiugassent.

Neque enim possunt dicere pietatem ac mores suos a dis gentium, quas uicerunt, dilectos et electos. numquam hoc dicent, si primordia sua recolant, facinorosorum asylum et Romuli fratricidium. neque enim, quando asylum constituerunt Remus et Romulus, ut quisquis cuiuslibet sceleris reus eo confugisset multum haberet commissum, praecepta paenitentiae dederunt ad saluandas animas miserorum ac non potius collectam timentium manum contra suas ciuitates, quarum leges timebant, mercede inpunitatis armarunt, aut quando Romulus fratrem, qui nihil in eum mali perpetrarat, occidit, iustitiam uindicandi ac non principatum dominandi cogitauit. itane istos mores dilexerunt di hostes suarum ciuitatum fauendo hostibus earum? quin potius nec illas defendendo presserunt nec ad istos transeundo eos aliquid adiuuerunt, quia non habent in potestate regnum dare et auferre, sed deus unus et uerus hoc agit occulto iudicio, non continuo beatos facturus quibus terrenum regnum dederit, nec continuo miseros quibus ademerit, sed beatos uel miseros propter aliud et aliunde faciens temporalia regna adque terrena quibus uoluerit et quamdiu uoluerit secundum praedestinatum ordinem saeculorum uel sinendo uel donando distribuit.

Vnde nec illud possunt dicere: cur ergo deus Hebraeorum, quem summum et uerum deum dicitis, non solum Romanos eis non subiugauit, sed nec ipsos Hebraeos, ne a Romanis subiugarentur, adiuuit? praecesserunt enim manifesta peccata eorum, propter quae illis hoc uenturum prophetae tanto ante praedixerant, et maxime, quia impio furore Christum occiderunt, in quo peccato aliorum occultorum peccatorum meritis excaecati sunt quod illius passio esset gentibus profutura, eadem prophetica contestatione praedictum est. nec alia re magis claruit illius gentis regnum et templum et sacerdotium et sacrificium et unctionem illam mysticam, quod chrisma Graece . dicitur, unde Christi nomen elucet et propter quam reges suos christos ipsa gens appellabat, non fuisse nisi praenuntiando Christo deputatam, quam quod occisi Christi resurrectio postea quam coepit credentibus gentibus praedicari illa omnia cessauerunt nescientibus Romanis, per quorum uictoriam, nescientibus Iudaeis, per quorum subiugationem factum est, ut illa cessarent.

Rem sane mirabilem non aduertunt pauci pagani, qui remanserunt, deum Hebraeorum offensum a uictis nec receptum a uictoribus nunc praedicari et coli ab omnibus gentibus. ipse est enim deus Israhel, de quo tanto ante propheta plebem dei sic adlocutus est: et qui eruit te deus Israhel uniuersae terrae uocabitur. hoc factum est per nomen Christi uenientis ad homines ex semine ipsius Israhel, qui nepos fuit Abrahae, a quo gens coepit Hebraeorum; nam et ipsi Israhel dictum est: et in semine tuo benedicentur omnes tribus terrae.

hinc ostenditur deus Israhel, deus unus, qui fecit caelum et terram et res humanas iuste ac misericorditer curat, ita ut nec praecludat iustitia misericordiam, nec inpediat misericordia iustitiam, quod non ipse sit uictus in Hebraeo populo suo, quia regnum sacerdotiumque eius Romanis expugnandum delendumque permisit, quando quidem per Christi euangelium, ueri regis et sacerdotis, quod illo regno et sacerdotio futurum praefigurauit, nunc ipse deus Israhel ubique delet idola gentium, quae utique ne delerentur, recipere sacra eius Romani noluerunt, sicut receperunt deorum aliarum gentium, quas uicerunt. ita et regnum sacerdotiumque propheticae gentis abstulit, quia iam qui per ea promittebatur aduenerat, et Romanum imperium, a quo illa gens uicta est, per Christum regem suo nomini subiugauit adque ad euertenda idola, propter quorum honorem sacra eius recepta non erant, christianae fidei robore ac deuotione conuertit

Puto, quia de se futura ut per tot prophetas et per cuiusdam etiam gentis regnum ac sacerdotium praenuntiarentur, non magicis artibus fecit Christus, antequam esset in hominibus natus. nam et illius iam deleti regni populus ubique dispersus mirabili dei prouidentia, quamuis sine ulla unctione regis sacerdotisque . remanserit, in quo chrismate Christi nomen apparet, tenet tamen reliquias quarundam obseruationum suarum, Romana autem sacra illa de idolorum cultu nec uictus ac subiugatus accepit, ut libros propheticos ad testimonium gerat Christi ac sic de inimicorum codicibus probetur ueritas prophetati Christi. quid ergo adhuc miseri Christum male laudando se ipsos indicant? si aliqua magica sub eius nomine scripta sunt, cum uehementer his artibus Christi doctrina inimica sit, hinc potius intellegant, quantum sit illud nomen, quo addito etiam illi qui contra eius praecepta uiuunt suas nefarias artes honorare conantur. sic enim diuersis hominum erroribus multi etiam uarias hereses aduersus ueritatem sub eius nomine condiderunt, ita sentiunt etiam inimici Christi ad suadendum quod proferunt contra doctrinam Christi nullum sibi esse pondus auctoritatis, si non habeat nomen Christi.

Quid quod isti uani Christi laudatores et christianae religionis obliqui obtrectatores propterea non audent blasphemare Christum, quia quidam philosophi eorum, sicut in libris suis Porphyrius Siculus prodit, consuluerunt deos suos, quid de Christo responderent, illi autem oraculis suis Christum laudare * conpulsi sunt? nec mirum, cum et in euangelio legamus eum demones fuisse confessos; scriptum est autem in prophetis nostris: quoniam di gentium demonia. ac per hoc isti, ne contra deorum suorum responsa conentur, continent blasphemias a Christo et eas in discipulos eius effundunt; mihi autem uidetur, quod illi di gentium, quos philosophi paganorum consulere potuerunt, etiam, si de discipulis Christi interrogarentur, ipsos quoque laudare cogerentur.

Verum tamen isti ita disputant, quod haec euersio templorum et damnatio sacrificiorum et confractio simulacrorum non per doctrinam Christi fiat, sed per discipulorum eius, quos aliud quam ab illo didicerunt docuisse contendunt, ita uolentes christianam fidem Christum honorantes laudantesque conuellere, quia utique per discipulos Christi et facta et dicta Christi adnuntiata sunt, quibus constat religio christiana adhuc istis iam paucissimis, nec iam obpugnantibus, sed tamen adhuc mussitantibus, inimica. sed si nolunt credere Chris-

tum talia docuisse, prophetas legant, qui non solum superstitiones idolorum euerti praeceperunt, uerum etiam christians temporibus hanc euersionem futuram praedixerunt. qui si fefellerunt, cur tanta manifestatione conpletur? si uerum dixerunt, cur tantae diuinitati resistitur?

Verum tamen diligentius ab istis quaerendum est, quemnam putent esse deum Israhel. cur eum colendum non receperunt sicut aliarum gentium deos, quas Romanum subegit imperium, praesertim cum eorum sententia sit omnes deos colendos esse sapienti? cur ergo a numero ceterorum iste reiectus est? si plurimum ualet, cur ab eis solus non colitur? si parum aut nihil ualet, cur contritis eorum simulacris ab omnibus gentibus solus paene iam colitur? numquam huius quaestionis eximi uinculo poterunt, qui cum maiores et minores deos colant, quos deos putant, hunc deum non colunt, qui praeualuit omnibus, quos colunt. si enim magnae uirtutis est, cur existimatus est inprobandus? si paruae nulliusue uirtutis est, cur tantum potuit inprobatus? si bonus est, cur a ceteris bonis solus separatur? si malus est, cur a tot bonis unus non superatur? si uerax est, cur eius praecepta respuuntur? si mendax est, cur eius praedicta conplentur?

Postremo quod nolunt de illo sentiant. numquid Romani etiam malos deos colendos non putant, qui Pallori et Febri fana fecerunt? qui et agathus demonas inuitandos et cacus demonas placandos monent? quodlibet ergo de illo existiment, cur eum solum sibi nec aduocandum nec propitiandum esse duxerunt? quis est deus iste uel ita ignotus, ut in tam multis dis solus adhuc non inueniatur, uel ita notus, ut a tam multis hominibus iam solus colatur? nihil ergo restat, ut dicant, cur huius dei sacra recipere noluerint, nisi quia solum se coli uoluerit, illos autem deos gentium, quos isti iam colebant, coli prohibuerit. sed hoc ipsum magis ab eis requirendum est, quemnam uel qualem putent. esse istum deum, qui noluerit coli deos alios, quibus isti templa et simulacra fecerunt, tantumque potuerit, ut plus ualeret eius uoluntas ad eorum simulacra euertenda quam illorum ad eius sacra non recipienda. certe sententia illius eorum philosophi proditur, quem sapientissimum omnium hominum etiam oraculo fuisse firmarunt. Socratis enim sententia est unumquemque deum sic coli oportere, quomodo se ipse colendum esse praeceperit. proinde istis summa necessitas facta est non colendi deum Hebraeorum, quia, si alio modo eum colere uellent quam se . colendum ipse dixisset, non utique illum colerent, sed quod ipsi finxissent. si autem illo modo uellent quo ipse diceret, alios sibi colendos non esse cernebant quos ipse coli prohibebat. ac per hoc respuerunt unius ueri dei cultum, ne multos falsos offenderent, magis arbitrantes sibi obfuturam fuisse istorum iracundiam quam illius beniuolentiam profuturam.

Sed fuerit ista uana necessitas et ridenda timiditas: nunc quaerimus, quid de isto deo sentiant homines, quibus placet omnes deos colendos esse. si enim iste colendus non est, quomodo coluntur omnes, cum iste non colitur? si autem colendus est, non omnes colendi sunt, quia, nisi solus colatur, iste non colitur. an forte dicturi sunt istum non esse deum, cum illos deos dicant, qui, sicut nos credimus, nihil possunt nisi quod illius iudicio permittuntur, non ut alicui prosint, sed ut nec laedere ualeant nisi eos, quos ita laedendos esse ille iudicat, qui omnia potest? sicut autem ipsi coguntur fateri, minora certe quam ille potuerunt. si

enim di sunt, quorum uates consulti ab hominibus ut non dicam fefellerunt, proxima tamen priuatis negotiis responderunt, quomodo non est deus, cuius uates non solum ea, quae ad tempus consulebantur, congrue responderunt, uerum etiam unde non consulebantur de uniuerso genere humano adque omnibus gentibus ea tanto ante. praedixerunt, quae nunc et legimus et uidemus? si deum dicunt, quo impleta Sibylla fata cecinit Romanorum, quomodo non est deus, qui et Romanos et omnes nationes in se unum deum per Christi euangelium crediturasque et omnia patrum suorum simulacra euersuras, sicut praenuntiauit, exhibuit? postremo, si illos deos dicunt, qui numquam ausi sunt per uates suos contra istum deum aliquid dicere, quomodo non est deus, qui per uates suos istorum simulacra non solum euerti iussit, uerum etiam in omnibus gentibus euersuiri praedixit ab eis qui illis desertis se unum deum colere iuberentur et iussi famularentur?

Aut legant, si possunt, uel aliquam Sibyllarum uel quemlibet aliorum uatum suorum praedixisse hoc futurum, ut deus Hebraeorum deus Israhel ab omnibus gentibus coleretur, et quod eum cultores aliorum deorum recte antea respuissent, futuras etiam litteras prophetarum eius in auctoritate ita sublimi, ut his obtemperans etiam imperium Romanorum iuberet deleri simulacra, monuisse etiam, ne talibus praeceptis obtemperaretur: legant ista, si possunt, ex aliquibus libris uatum suorum. omitto enim dicere, quod ea quae in illorum libris leguntur pro nostra, hoc est christiana religione testimonium dicunt, quod a sanctis angelis et ab ipsis prophetis nostris audire potuerunt, sicut et praesentem in carne Christum etiam demonia coacta sunt confiteri. sed haec omitto, quae cum proferimus a nostris ficta esse contendunt: ipsi omnino, ipsi urgendi sunt, ut proferant a uatibus deorum suorum contra deum Hebraeorum aliquid prophetatum, sicut nos tot et tanta de libris prophetarum nostrorum contra deos eorum et iussa obseruamus et praedicta recitamus et facta monstramus. quae illi iam qui perpauci remanserunt malunt dolere conpleta quam illum deum agnoscere qui potuit praenuntiare conplenda, cum in suis dis falsis, quae sunt uera demonia, nihil aliud pro magno appetant, quam cum aliquid eorum responsis sibi futurum esse didicerint.

Quae cum ita sint, cur non potius miseri intellegunt illum esse deum uerum, quem sic uident a suorum deorum societate seiunctum, ut quem deum fateri coguntur, qui omnes deos colendos esse profitentur, cum ceteris colere non sinantur? cum ergo simul coli non possunt, cur non ille eligitur qui istos coli uetat relictis istis qui illum coli non uetant? aut si uetant, legatur. quid enim magis populis eorum in templis eorum debuit recitari, ubi nihil umquam tale personuit? et utique prohibitio tam multorum contra unum quam unius contra tam multos. notior et potentior esse deberet. nam si huius dei cultus est impius, inutiles sunt di, qui homines ab impietate non prohibent: si uero pius est huius cultus, quoniam in illo praecipitur ne isti colantur, impius est cultus illorum. si autem tam fidenter istum coli prohibent, ut plus audiri timeant quam prohibere audeant, hoc ipso quis non sapiat, quia non sentiat illum esse potius eligendum, qui istos coli tam publice prohibet, qui eorum simulacra euerti iussit, praedixit, euertit, quam istos, quos, ut ille non colatur, iussisse nescimus, praedixisse non legimus, ualuisse aliquid non uidemus? rogo, respon-

deant: quia est deus iste, qui omnes deos gentium sic persequitur, qui omnia eorum sacra sic prodit, sic extinguit?

Quid interrogem homines, qui euanuerunt cogitando, quis iste sit? alii dicunt: Saturnus est, credo propter sabbati sanctificationem, quia isti eum diem Saturno tribuerunt. Varro autem ipsorum, quo doctiorem aput se neminem inueniunt, deum Iudaeorum Iouem putauit nihil interesse censens, quo nomine nuncupetur, dum eadem res intellegatur, credo illius summitate deterritus. nam quia nihil superius solent colere Romani quam Iouem, quod Capitolium eorum satis aperteque testatur, eumque regem omnium deorum arbitrantur, cum animaduerteret Iudaeos summum deum colere, nihil aliud potuit suspicari quam Iouem. sed siue qui Saturnum siue qui Iouem deum Iudaeorum putant, dicant: quando Saturnus prohibere ausus est coli alterum deum, nec ipsum Iouem, qui eum regno expulisse perhibetur, patrem filius? qui si tamquam potentior et uictor placuit cultoribus suis, Saturnum uictum expulsumque non colant. sed neque istum coli Iouis prohibuit, et quem uincere potuit, deum tamen esse permisit.

Istae, inquiunt, fabulae sunt aut interpretandae a sapientibus aut ridendae; nos autem Iouem colimus, de quo ait Maro: Iouis i s omnia plena, id est omnia uiuificantem spiritum. merito ergo et Varro Iouem opinatus est coli a Iudaeis, quia dicit per prophetam: caelum et terram ego impleo. quid illud quod idem poeta dicit aethera? quomodo accipiunt? sic enim ait: tum pater omnipotens fecundis imbribus aether coniugis in gremium laetae descendit. aetherem quippe non spiritum, sed corpus esse dicunt sublime, quo caelum super aerem distenditur. an poetae conceditur nunc secundum Platonicos, ut non corpus, sed spiritus, nunc secundam Stoicos loqui, ut corpus sit deus? quid ergo in Capitolio colunt? si spiritum, si denique ipsum caelum corporeum, quid illic facit scutum illud Iouis, quod appellant Aegida? nempe origo nominis huius ita redditur, quia Iouem a matre occultatum capra nutriuit. an et hoc poetae mentiuntur? numquid et Capitolia Romanorum opera sunt poetarum? quid sibi autem uult ista non poetica, sed plane mimica uarietas, deos secundum philosophos in libri quaerere, secundum poetas in templis adorare?

Sed numquid etiam ille Euhemerus poeta fuit, qui et ipsum Iouem et Saturnum patrem eius et Plutonem adque Neptunum fratres eius ita planissime homines fuisse prodit, ut eorum cultores gratias magis poetis agere debeant, quia non ad eos dehonestandos, sed potius ad exornandos multa finxerunt? quamuis et ipsum Euhemerum ab Ennio poeta in Latinam linguam esse conuersum Cicero commemoret. numquid et ipse Cicero poeta fuit, qui eum, cum quo in Tusculanis disputat, tamquam secretorum conscium admonet dicens: si uero scrutari uetera et ex eis quae scriptores Graeciae prodiderunt eruere coner, ipsi illi maiorum gentium di hinc a nobis profecti in caelum repperientur. quaere, quorum demonstrentur sepulchra in Graecia, reminiscere, quoniam es initiatus, quae tradantur mysteriis, tum denique, quam hoc late pateat, intelleges. hic certe istorum deos homines fuisse satis confitetur, in caelum autem peruenisse beniuole suspicatur. quamquam et hunc honorem opinionis ab hominibus eis esse delatum, non dubitauit publice dicere, cum de Romulo loqueretur: qui hanc, inquit, urbem condidit, Romulum ad deos inmortales beni-

uolentia famaque sustulimus. quid igitur mirum est, si hoc fecerunt antiquiores homines de Ioue et Saturno et ceteris, quod Romani de Romulo, quod denique iam recentioribus temporibus etiam de Caesare facere uoluerunt? quibus et Vergilius adulationem carminis addidit dicens: ecce Dionaei processit Caesaris astrum. uideant ergo, ne forte historica ueritas sepulchra falsorum deorum ostendat in terra, uanitas autem poetica stellas eorum non figat, sed fingat in caelo. neque enim re uera stella illa Iouis est aut illa Saturni; sed post eorum mortem sideribus ab initio mundi conditis haec nomina inposuerunt homines, qui illos mortuos quasi deos haberi uoluerunt. de quibus quid tantum mali castitas aut quid tantum boni uoluptas conmeruit, ut inter astra, quae cum sole et luna circumeunt, Venus habeat stellam et Minerua non habeat?

Sed fuerit et Cicero Academicus incertior quam poetae, qui sepulchra deorum commemorare ausus est litterisque mandare, quamuis hoc non ei opinione propria praesumserit, sed ex ipsorum sacrorum traditione commemorauerit. numquid et Varro uel tamquam poeta fingit uel tamquam Academicus dubie ponit, quod dicit talium deorum sacra ex cuiusque eorum uita uel morte, qua inter homines uixerunt uel obierunt, esse conposita? numquid et Leon ille sacerdos Aegyptius poeta uel Academicus fuit, qui Macedoni Alexandro diuersam quidem a Graecorum opinione istorum deorum originem uerum tamen ita prodit, ut eos homines fuisse declaret?

Sed quid ad nos? dicant se Iouem non hominem mortuum colere nec homini mortuo Capitolium dedicasse, sed spiritui uiuificanti omnia, quo mundus impletur, et scutum eius in honorem nutricis eius factum de pelle caprina interpretentur ut uolunt. quid dicunt de Saturno? quem Saturnum colunt? nonne ille est, qui primus ab Olympo uenit arma Iouis fugiens et regnis exsul ademptis, qui genus indocile et dispersum montibus altis conposuit legesque dedit Latiumque uocari maluit, his quoniam latuisset tutus in oris? nonne ipsum eius simulacrum, quod cooperto capite fingitur, quasi latentem indicat? nonne ipse Italis ostendit agriculturam, quod falce demonstrat? non, inquiunt; nam uideris, si fuit ille homo et rex quidam, de quo ista narrantur, nos tamen Saturnum interpretamur \'uniuersum tempus\', quod Graecum etiam uocabulum eius ostendit; uocatur enim Cronos, quod adspiratione addita etiam temporis nomen est, unde et Latine Saturnus appellatur, quasi saturetur annis. quid iam cum istis agendum sit, nescio, qui conantes in melius interpretari nomina et simulacra deorum suorum fatentur maiorem deum suum et patrem ceterorum tempus esse. quid enim aliud indicant quam omnes deos suos temporales esse, quorum patrem ipsum tempus constituunt?

Erubuerunt hinc philosophi eorum recentiores Platonici, qui iam christianis temporibus fuerunt, et Saturnum aliter interpretari conati sunt dicentes appellatum Cronon uelut a satietate intellectus eo, quod Graece satietas coros, intellectus autem sine mens nus dicitur. cui uidetur suffragari et Latinum nomen quasi ex prima Latina parte et Graeca posteriore conpositum, ut diceretur Saturnus tamquam satur nus. uiderunt, quam esset absurdum, si filius temporis Iuppiter haberetur, quem deum aeternum uel putabant uel putari uolebant. at uero secundum istam nouellam interpretationem, quam ueteres eorum si habuissent,

mirum si Ciceronem Varronemque latuisset, Saturni filium Iouem dicunt tamquam ab illa summa mente profluentem spiritum, quam uolunt esse uelut animam mundi huius omnia caelestia et terrena corpora implentem. unde illud Maronis est, quod paulo ante commemoraui: Iouis is omnia plena. numquid non, si possent, isti sicut ipsam interpretationem ita etiam superstitionem hominum commutarent et aut nulla simulacra aut certe Saturno potius quam Ioui Capitolia constituerent? neque enim ullam animam rationalem sapientem fieri disputant nisi participatione summae illius incommutabilisque sapientiae, non solum cuiusquam hominis animam, sed ipsius etiam mundi, quam dicunt Iouem; nos uero esse quandam summam dei sapientiam, cuius participatione fit sapiens, quaecumque anima fit uere sapiens, non tantum concedimus, uerum etiam maxime praedicamus. utrum autem uniuersa ista corporalis moles, quae mundus appellatur. habeat quandam animam uel quasi animam suam, id est rationalem uitam, qua ita regatur sicut unumquodque animal, magna adque abdita quaestio est, nec adfirmari debet ista opinio nisi conperta, quod uera sit, nec refelli nisi conperta, quod falsa sit. quid autem hoc ad hominem, etiamsi semper eum lateat, quando quidem nulla anima fit sapiens uel beata ex alia quacumque anima, sed ex illa sola summa adque incommutabili dei sapientia?

Romani tamen, qui non Saturno, sed Ioui Capitolium condiderunt, uel aliae nationes, quae Iouem praecipue supra ceteros deos colendum esse putauerunt, non hoc quod isti senserunt. qui secundum istam suam nouam opinionem et summas arces, si quicquam in his rebus potestatis habuissent, Saturno potius dedicarent et mathematicos uel genethliacos maxime delerent, qui Saturnum, quem sapientum effectorem isti dicerent, maleficum deum inter alia sidera constituerent. quae opinio tantum contra illos in animis humanis praeualuit, ut nec nominare illum uelint, senem potius quam Saturnum appellantes, tam timida superstitione, ut iam Carthaginienses paene uico suo nomen mutauerint \'uicum senis\' crebrius quam \'uicum Saturni* appellantes.

Notum est ergo, quid colere conuincantur et quid colorare conentur adoratores simulacrorum. uerum et ab istis nouiciis Saturni interpretatoribus requirendum est, quid de deo sentiant Hebraeorum. etiam ipsis enim placuit omnes deos cum gentibus colere, cum eos superbos puderet pro peccatorum remissione humilari sub Christo. quid ergo sentiunt de deo Israhel? quem si non colunt, non omnes deos colunt, si autem colunt, non colunt sicut se coli iussit, quia et alios colunt, quos coli ille prohibuit. per eos enim uates ista prohibuit, per quos haec ipsa, quae nunc a Christianis eorum simulacra patiuntur, futura praedixit. siue enim angeli ad illos prophetas missi sint, qui eis deum omnium creatorem unum uerum deum, cui uniuersa subiecta sunt, et per sensibilium rerum congruam speciem figurate ostenderent et quemadmodum se coli praeciperet indicarent, siue aliquorum in eis mentes per spiritum sanctum ita sublimatae sint, ut eo uisu ea uiderent quo et ipsi angeli uident, constat tamen eos illi deo seruisse, qui alios deos coli prohibuit, seruisse autem fide pietatis in regno et sacerdotio reipublicae suae et Christum uenturum regem ac sacerdotem significantibus sacris.

Porro autem in dis gentium, quos isti dum colere nolunt illum qui cum istis coli non potest colere nolunt, dicant, quid causae est, ut nullus eorum inueniatur qui alterum coli prohibeat, cum eos in diuersis officiis muneribusque constituant et rebus ad quemque proprie pertinentibus praesides uelint. si enim Iuppiter non prohibet Saturnum coli, quia non est ille homo, qui illum hominem patrem de regno expulit, sed aut caeli corpus aut spiritus implens caelum et terram, et ideo non potest prohibere coli mentem supernam, ei qua dicitur emanasse, si ea ratione nec Saturnus Iouem coli prohibet, quia non ab eo rebellante superatus est sicut ille a loue nescio quo, cuius arma fugiens uenit in Italiam, sed fauet prima mens animae a se genitae, saltem Vulcanus prohiberet coli Martem uxoris adulterum, Hercules Iunonem persecutricem suam. quae ista inter eos est tam foeda consensio, ut nec Diana uirgo casta coli prohibeat non dicam Venerem sed Priapum? nam si unus homo et uenator et agricola esseuoluerit, seruus erit amborum, quibus tamen uel uicina templa fabricare erubescit. sed interpretentur Dianam uirtutem quam uolunt, interpretentur et Priapum fecunditatis deum, ita sane ut in fetandis feminis pudeat Iunonem talem habere adiutorem, dicant quod placet, interpretentur quod sapiunt, dum tamen omnia eorum argumenta perturbet deus Israhel. qui cum illos omnes coli prohibuerit et a nullo eorum coli prohibitus sit eorumque simulacris et sacris euersionem praeceperit, praedixerit, fecerit, satis ostendit illos falsos adque fallaces et se esse uerum ac ueracem deum.

. Istos autem iam paucos deorum multorum falsorumque cultores quia non miretur nolle obtemperare illi, de quo cum ab eis quaeritur quisnam deus sit, quodlibet opinando respondeant, deum tamen esse negare non audent, quia si negent, operibus eius et praedictis adque conpletis facillime conuincuntur? neque enim ea dico, quae liberum sibi putant esse non credere, quia ipse in principio fecit caelum et terram et omnia quae in eis sunt, neque illa nimis antiqua, quod Enoch transtulit; quod impios diluuio deleuit, quod Noe iustum domumque eius per lignum inde liberauit ab Abraham in hominibus facta eius exordior. huic enim facta est per angelicum oraculum manifesta promissio, quam nunc uidemus impleri. huic quippe dictum est: in semine tuo benedicentur omnes gentes, ex cuius semine populus Israhel, unde uirgo Maria, quae peperit Christum, in quo benedici omnes gentes audeant iam negare, si possunt. haec promissio facta est etiam ad Isaac filium Abrahae, haec et ad Iacob nepotem Abrahae, qui etiam Israhel appellatus est, ex quo uniuersus populus et propagatus et nominatus est, uthuius populi deus appellaretur deus Israhel, non quod ipse non sit deus omnium gentium siue nescientium siue iam scientium, sed quia in isto populo uoluit manifestius apparere uirtutem promissorum suorum. ille enim populus primo in Aegypto multiplicatus et de illa seruitute per Moysen in multis signis portentisque liberatus debellatis plurimis gentibus terram etiam promissionis accepit, in qua regnauit per reges suos de tribu Iuda exortos. qui ludas unus fuit ex duodecim filiis Israhel nepotis Abrahae. adque inde Iudaei cognominati multa ipso deo adiuuante fecerunt, multa pro peccatis suis ipso flagellante perpessi sunt, donec ueniret semen, cui promissum est, in quo benedicerentur omnes gentes et patrum suorum simulacra sponte confringerent.

Neque enim temporibus christianis, sed tanto ante praedictum est quod per Christianos impletur. ipsi Iudaei qui remanserunt inimici nominis Christi, de quorum etiam futura

perfidia in illis propheticis litteris tacitum non est, ipsi habent et legunt prophetam dicentem: domine deus meus et refugium meum in die malorum, ad te gentes uenient ab extremo terrae et dicent: uere mendacia coluerunt patres nostri simulacra et non est in illis utilitas. ecce nunc fit, ecce nunc gentes ab extremo terrae ueniunt ad Christum ista dicentes et simulacra frangentes. et hoc enim magnum est, quod deus praestitit ecclesiae suae ubique diffusae. ut gens Iudaea merito debellata et dispersa per terras, ne a nobis haec composita putarentur, codices prophetarum nostrorum ubique portaret et inimica fidei nostrae testis fieret ueritatis nostrae. quomodo ergo discipuli Christi docuerunt quod a Christo non didicerunt, sicut stulti desipiendo iactitant, ut deorum gentilium et simulacrorum superstitio deleretur? numquid et illas prophetias, quae nunc leguntur in codicibus inimicorum Christi, possunt dici finxisse discipuli Christi?

Quia enim haec euertit nisi deus IsraheL? ipsi enim populo dictum est per diuinas uoces factas ad Moysen: audi Israhel, dominus deus tuus dominus unus est. non facies tibi idolum neque cuius quam similitudinem, neque quae in caelo sursum neque quae in terra deorsum. ut autem etiam euertat ista, ubi potestatem acceperit, sic ei praecipitur: non adorabis deos illorum, sed neque seruies eis: non facies secundum opera ipsorum, sed deponendo depones et confringendo confringes simulacra eorum. quis autem dicat Christum adque Christianos non pertinere ad Israhel, cum Israhel nepos fuerit Ab ahae, cui primo et deinde Isaac filio eius et deinde ipsi Israhel nepoti eius dictum est quod iam commemoraui: in semine tuo benedicentur omnes gentes? quod fieri iam uidemus in Christo, cum inde exorta sit illa uirgo, de qua propheta populi Israhel et dei Israhel cecinit dicens: ecce uirgo concipiet et pariet filium, et uocabunt nomen eius Emmanuhel. interpretatur autem Emmanuhel \'nobiscum deus). deus ergo Israhel. qui prohibuit alios deos coli, qui prohibuit idola fabricari, qui praecepit euerti, qui per prophetam praedixit gentes ab extremo terrae dicturas: uere mendacia coluerunt patres nostri simulacra, in quibus non est utilitas, ipse per Christi nomen et Christianorum fidem istarum omnium superstitionum euersionem iussit, promisit, exhibuit. frustra ergo miseri, quia blasphemare Christum etiam a dis suis, hoc est demonibus, nomen Christi metuentibus prohibiti sunt, uolunt ab eo doctrinam istam facere alienam, qua Christiani contra idola disputant easque omnes falsas religiones, ubi potuerint, eradicant.

De deo Israhel respondeant, quem docere ista et iubere non tantum Christianorum, sed etiam Iudaeorum libri testantur, de ipso consulant deos suos, qui Christum blasphemari prohibuerunt, de deo Israhel, si audiant aliqua contumeliosa, respondeant. sed quos consulant? aut ubi iam consulant? libros suorum legant. si deum Israhel Iouem putant, sicut Varro scripsit, interim ut secundum eorum opinionem loquar, cur ergo Ioui non credunt idola esse delenda? si Saturnum putant, cur eum non colunt? aut cur non sic colunt, quemadmodum se coli per eos uates praecepit, per quos ea quae praedixit impleuit? cur ei non credunt simulacra euertenda esse et alios deos colendos non esse? si nec Iouis nec Saturnus est — quia, si unus eorum esset, contra sacra Iouis et Saturni eorum tanta non diceret —, quis ergo est, qui propter deos alios solus ab istis non colitur et euersis dis aliis tam euidenter efficit, ut solus colatur, humilata omni superba altitudine, quae se aduersus Christum

erexerat pro idolis persequens interficiensque Christianos? nunc certe quaerunt, ubi se abscondant, cum sacrificare uolunt, uel ubi deos ipsos suos recludant, ne a Christianis inueniantur adque frangantur. unde hoc nisi a timore legum adque regum, per quos deus Israhel suam exserit potestatem iam subditos Christi nomini, sicut longe ante promisit dicens per prophetam: et adorabunt eum omnes reges terrae, omnes gentes seruient illi?

Nempe iam impletur quod per prophetam identidem canitur, quod remissurus esset impiam plebem suam — non quidem totam, quia multi ex Israhelitis crediderunt in Christum; nam inde erant et apostoli eius —, et humilaturus omnem superbum adque iniuriosum, ut ipse solus exaltaretur, id est solus altus et potens hominibus manifestaretur, donec proicerentur a credentibus idola et a non credentibus absconderentur, cum eius timore terra confringitur, id est terreni homines timore franguntur, timendo legem uel ipsius uel eorum qui credentes in eum gentibusque regnantes talia sacrilegia prohiberent.

Haec enim, quae ut facilius intellegerentur breuiter praelocutus sum, propheta sic dicit: *Et nunc tu, -domus Iacob, uenite, ambulemus in lucem domini. \'remi sit enim plebem suam, domum Israhel, quoniam repleta est sicut ab initio regio eorum auguriis sicut alienigenarum, et filii multi alienigenae nati sunt illis. \'repleta est enim regio eorum argento et auro, nec erat numerus thensaurorum illorum. et repleta est terra equis, nec erat numerus currum illorum. et repleta est terra abominationibus operum manuum ipsorum, et adorauerunt ea quae fecerunt digiti eorum. \'et inclinauit se homo et humilauit se uir, et non remittam illis. "et nunc intrate in petras et abscondite uos in terra a facie timoris domini et a maiestate uirtutis eius, cum surrexerit confringere terram. "oculi enim domini excelsi, homo autem humilis. et humilabitur altitudo hominum, et exaltabitur dominus solus in illa die. "Dies enim domini sabaoth in omnem iniuriosum et superbum et supra omnem altum et elatum, qui humilabuntur, "et super omnem cedrum Libani excelsorum et elatorum et super omnem arborem balani Basan, uet super omnem montem et super omnem collem altum, et super omnem nauem maris et super omne spectaculum nauium decoris. "et humilabitur et cadet contumelia hominum, et exaltabitur dominus solus in illa die.

"Et manibus fabricata omnia abscondent in speluncis et in scissuris petrarum et in cauernis terrae a facie timoris domini et a maiestate uirtutis eius, cum exsurrexerit confringere terram. illa enim die proiciet homo abominationes aureas et argenteas, quae fecerunt ut adorarent superuacuanea et noxia, ut intrent in foramina solidae petrae et in scissuras petrarum, a facie timoris domini et a maiestate uirtutis eius, cum exsurrexerit comminuere terram.

Quid dicunt de isto deo sabaoth, quod interpretatur \'deus uirtutum) uel \'exercituum\', quia illi seruiunt uirtutes et exercitus angelorum? quid dicunt de isto deo Israhel, quia deus est illius populi, de quo uenit semen, in quo benedicerentur omnes gentes? cur solum non colunt, qui omnes deos colendos esse contendunt? cur ei non credunt, qui alios deos falsos et ostendit et euertit? audiui quendam eorum dicere se legisse aput nescio quem philosophum, quod ex his quae Iudaei in suis sacramentis agerent intellexisset, quem deum colerent: praepositum, inquit, istorum elementorum, quibus iste uisibilis et corporeus mundus extructus

est, cum scripturis sanctis prophetarum eius aperte ostendatur illum deum colendum praeceptum esse populo Israhel, qui fecit caelum et terram et a quo est omnis uera sapientia. sed quid opus est hinc diutius disputare, cum ad id quod ago sufficiat quod illi qualibet praesumtione opinantur de illo deo, quem deum esse negare non possunt? si enim praepositus est elementorum, quibus mundus iste consistit, cur non potius solus ipse colitur quam Neptunus, qui solius maris praepositus est, quam denique Siluanus, qui solorum agrorum adque siluarum, quam Sol, qui solius diei uel etiam uniuersi caelestis caloris, quam Luna, quae solius noctis uel etiam humoris potestate praefulget, quam Iuno, quae solum aerem tenere perhibetur ? certe enim isti partium praepositi, quicumque sunt, necesse est, ut sub illo sint qui omnium elementorum et uniuersae huius molis praeposituram gerit. at iste illos omnes coli prohibet. cur ergo isti contra praeceptum maioris illorum non solum eos colere uolunt, sed propter istos illum nolunt? adhuc non inueniunt, quid de isto deo Israhel constanter liquidoque pronuntient, nec umquam inuenient, donec eum inueniant deum solum uerum, a quo creata sunt omnia.

Proinde quidam Lucanus magnus eorum in carmine declamator, credo et ipse diu quaerens siue per suas cogitationes siue per suorum libros, quisnam esset Iudaeorum deus, et, quia non pie quaerebat, non inueniens, maluit tamen incertum deum, quem non inueniebat, quam nullum deum dicere, cuius tam magna documenta sentiebat. ait enim: et dedita sacris incerti Iudaea dei. et nondum deus iste sanctus et uerus deus Israhel, nondum per Christi nomen tanta in omnibus gentibus fecerat, quanta usque in hodiernum diem post Lucani tempora consecuta sunt. nunc uero quis tam durus non flectatur? quis tam torpidus non ignescat, cum impletur quod scriptum est, quia non est qui se abscondat a calore eius? quando iam clarissima luce manifestantur quae in eodem psalmo, unde uersiculum istum commemoraui, tanto ante praedicta sunt? caelorum enim nomine apostoli Christi significati sunt, quod in eis deus praesideret, ut euangelium nuntiarent. iam ergo caeli enarrauerunt gloriam dei, et opera manuum eius adnuntiauit firmamentum. dies diei eructuauit uerbum, et nox nocti adnuntiauit scientiam. iam non sunt loquellae neque sermones, quorum non audiantur uoces eorum. iam in omnem terram exiit sonus eorum et in fines orbis terrae uerba eorum. iam in sole, hoc est in manifestatione, posuit tabernaculum suum, quod est ecclesia ipsius, quia, ut hoc faceret, ipse, sicut ibi sequitur, tamquam sponsus processit de thalamo suo, id est: coniugatum uerbum carni humanae processit de utero uirginali, iam exultauit ut gigans et cucurrit uiam, iam a summo caeli facta est egressio eius et recursus eius usque ad summum caeli. et ideo rectissime sequitur uersus, quem paulo ante commemoraui: et non est qui se abscondat a calore eius. et adhuc isti fragiles contradictiunculas garrientes eligunt isto igne sicut stipula in cinerem uerti quam sicut aurum a sorde purgari, cum et deorum falsorum iam fallacia monumenta frustrata sint et illius incerti dei ueracia promissa certa iam facta sint!

Desinant ergo dicere mali laudatores Christi, qui nolunt esse Christiani, quod Christus non docuerit deos eorum deseri et simulacra confringi. deus enim Israhel, de quo praedictum est quod deus uniuersae terrae uocabitur, et deus uniuersae terrae iam uocatur, hoc per prophetas futurum praedixit, hoc per Christum congruo tempore impleuit. certe enim si

iam deus Israhel deus uniuersae terrae uocatur, necesse est, ut fiat, quod iussit, quando qui iussit innotuit. quia uero per Christum et iri Christo innotuit, ut ecclesia eius per orbem diffunderetur et per ipsam deus Israhel uniuersae terrae uocaretur, paulo superius aput eundem prophetam legant qui uolunt, immo et a me commemoretur. neque enim ita longum est, ut oporteat praetermitti. dicuntur enim multa de praesentia et humilitate et passione Christi et corpore eius. cui caput est, id est ecclesia eius, cum appellatur tamquam sterilis, quae non pariebat. per multos enim annos ecclesia. quae futura erat in omnibus gentibus in filiis suis, hoc est in sanctis suis, non apparuit nondum Christo adnuntiato per euangelistas eis, quibus non est adnuntiatus per prophetas, et dicitur plures filios desertae futuros quam eius, quae habet uirum, cum uiri nomine significata est lex uel rex, quem. accepit primus populus Israhel, nec acceperant gentes legem eo tempore, quo propheta loquebatur, neque rex Christianorum apparuerat adhuc, ei quibus tamen gentibus longe fertilior et numerosior sanctorum multitudo prouenit. ita ergo dicit Esaias incipiens ab humilitate Christi et se postea conuertens ad adloquendam ecclesiam usque ad eum uersum, quem commemorauimus, ubi ait: et qui eruit te ipse deus Israhel uniuersae terrae uocabitur:

”Ecce, inquit, in intellectu erit puer meus et exaltabitur et honorificabitur uehementer. ”quomodo multi mirabuntur super te, sic tamen et inhonesta uidebitur ab hominibus species tua et honor tuus ab hominibus. ”ita enim mirabuntur gentes multae super eum et continebunt reges os suum, quoniam quibus non est nuntiatum de illo uidebunt et qui non audierunt intellegent.

\’Domine, quis credidit auditui nostro? et bracchium domini cui reuelatum est? \’nuntiauimus coram illo ut puer, ut radix in terra sitienti; non est species illi neque honor. et uidimus illum, et non habuit speciem neque decorem; \’sed uultus eius abiectus et deformis positio eius ab omnibus hominibus. homo in plaga et qui sciat ferre infirmitates, propter quod et auertit se facies eius, iniuriata est nec magni aestimata est.

*Hic infirmitates nostras portat et pro nobis in doloribus est. et nos existimauimus illum in doloribus esse et in plaga et in poena. ipse autem uulneratus est propter peccata nostra et infirmatus est propter iniquitates nostras. eruditio pacis nostrae in eum, liuore eius sanati sumus. ”omnes ut oues errauimus et dominus tradidit ilium pro peccatis nostris. et ipse quoniam male tractatus est, non aperuit os; ut ouis ad immolandum ductus est, et ut agnus ante eum qui se tonderet fuit sine uoce, sic non aperuit os suum.

In humilitate sublatum est iudicium eius. generationem eius quis enarrabit? quoniam tolletur de terra uita eius. ab iniquitatibus populi mei ductus est ad mortem. sepulturam ergo malos propter sepulturam eius et diuites propter mortem eius, ob hoc quod iniquitatem non fecerit nec dolum in ore suo. dominus uult purgare illum de plaga. si dederitis uos ob delicta uestra animam uestram, uidebitis semen longissimae uitae. et uult dominus auferre a doloribus animam eius, ”ostendere illi lucem et figurare per sensum, iustificare iustum bene seruientem pluribus, et peccata illorum ipse sustinebit. ”propterea ipse hereditabit complures et fortium partietur spolia, propter quod tradita est ad mortem anima eius et in-

ter iniquos aestimata est, et ipse peccata multorum sustineuit et propter iniquitates eorum traditus est.

\'Delectare sterilia, quae non paris, exsulta et clama, quae non parturis, quoniam multi filii desertae magis quam eius quae habet uirum. dixit enim dominus. \'dilata locum tabernaculi tui et aulas tuas confige; non est, quod parcas. porrige longius funiculos et palos ualidos constitue. etiam adque etiam in dextram adque sinistram partem extende. semen enim tuum hereditabit gentes, et ciuitates quae desertae erant inhabitabis. non est, quod metuas, praeualebis enim, nec erubescas, quod detestabilis fueris. confusionem enim in perpetuum obliuisceris. ignominiae uiduitatis tuae non eris memor, \'quoniam ego sum dominus qui facio te, dominus nomen ei, et qui eruit te ipse deus Israhel uniuersae terrae uocabitur.

Quid contra hanc eaidentiam expressionemque rerum et praedictarum et impletarum dici potest? si de Christi diuinitate discipulos eius putant esse mentitos, numquid de Christi passione dubitabunt? resurrexisse non solent credere; at illa omnia ab hominibus humana perpessum etiam libenter credunt, quia hominem tantummodo credi uolunt. ille itaque sicut ouis ad immolandum ductus, ille inter iniquos deputatus, ille uulneratus propter peccata nostra, cuius liuore sanati sumus, cuius facies iniuriata. est nec magni aestimata, palmis caesa et sputis inlita, cuius deformis in cruce positio, ille ab iniquitatibus populi Israhel ductus ad mortem, ille qui non habebat speciem neque decorem, quando colaphis percutiebatur, quando spinis coronabatur, quando pendens inridebatur, ille qui, sicut agnus coram tondente non habet uocem, sic non aperuit os suum, cum ei diceretur ab insultantibus: prophetiza nobis, Christe. nempe iam exaltatus est, iam honorificatus est uehementer. nempe iam mirantur gentes multae super eum. iam continuerunt reges os suum, quo aduersus Christianos leges saeuissimas promulgabant. nempe quibus non est nuntiatum de illo, iam uident, et qui non audierunt, iam intellegunt. quoniam gentes, quibus non nuntiarunt prophetae, magis ipsae uident, quam uera nuntiata sint per prophetas. et qui non audierunt ipsum Esaiam loquentem, iam in litteris eius, de quo ista sit locutus, intellegunt. nam in ipsa gente Iudaeorum quis credidit auditui prophetarum, aut bracchium domini, quod est ipse Christus, qui per eos adnuntiabatur, cui reuelatum est, quando manibus suis ea scelera in Christo admittebant, quae futura praedixerant prophetae quos habebant? nempe iam hereditate possidet multos et fortium partitur spolia, cum ea quae diabolus et demones possidebant per ecclesiarum suarum fabricas et quoslibet necessarios usus illis expulsis proditisque distribuit.

Quid ergo ad haec dicunt peruersi laudatores Christi et Christianorum obtrectatores? numquid, ut ista per prophetas tanto ante praedicerentur, Christus magicis artibus fecit aut discipuli eius ista finxerunt? numquid, ut delectetur ecclesia diffusa per gentes quondam sterilis, nunc in pluribus filiis quam illa synagoga, quae legem siue regem tamquam uirum acceperat, numquid, ut sic dilatet locum tabernaculi sui omnes nationes et linguas occupans, ut longius, quam Romani imperii iura tenduntur, usque in Persas et Indos aliasque barbaras gentes funiculos porrigat, ut in dextram per ueros Christianos

et in sinistram per fictos Christianos in tam multis populis nomen eius extendatur, ut semen eius herodite gentes, ut ciuitates, quae a uero dei cultu et a uera religione desertae fuerant, iam nunc inhabitet, ut non timuerit hominum minas et furias, quando in sanguine martyrum tamquam honore purpureo uestiebatur, ut praeualeret tam multis tamque uehementibus et potentibus persecutoribus suis, ut non erubesceret quod detestabilis fuerit, quando magnum erat crimen fieri uel esse Christianum, ut confusionem in perpetuum obliuiscatur, quia, ubi abundauerat peccatum, superabundauit gratia, ut ignominiae uiduitatis suae memor non sit, quia paululum derelicta et obprobriis obiecta tam eminenti gloria reflorescit? numquid postremo, ut dominus, qui fecit eam et a dominatu diaboli et demonum eruit eam, ipse deus Israhel uniuersae terrae iam uocetur, discipuli Christi finxerunt, quod prophetae, quorum libri nunc in manibus inimicorum Christi habentur, tam longe ante quam Christus filius hominis fieret praedixerunt?-

Hinc ergo intellegant, quod ne tardissimis quidem adque obtunsissimis obscurum dubiumue relinquitur, hinc, inquam, intellegant Christi peruersi laudatores et christianae religionis exsecratores etiam Christi discipulos contra deos eorum ea didicisse adque docuisse quae doctrina continet Christi, quia deus Israhel, qui haec omnia, quae isti colere uolunt, abominanda adque euertenda in libris prophetarum praecepisse inuenitur, ipse deus uniuersae terrae, sicut tanto ante promisit, per Christum et Christi ecclesiam iam uocatur. si enim Christum mira dementia suspicantur deos eorum coluisse ac per hos eum tanta potuisse, numquid et deus Israhel deos eorum coluit, qui de se per omnes gentes colendo et de illis abominandis adque euertendis per Christum quod promisit impleuit? ubi sunt di eorum? ubi uaticinia fanaticorum et diuinationes pythonum? ubi auguria uel auspicia uel haruspicia uel oracula demonum? cur non profertur ex huius modi antiquis libris admonitum aliquid et praedictum contra christianam fidem et contra prophetarum nostrorum expressam iam in omnibus gentibus tam perspicuam ueritatem? offendimus, inquiunt. deos nostros et deseruerunt nos, ideo aduersus nos Christiani praeualuerunt et humanarum rerum felicitas defessa ac deminuta dilabitur. hoc sibi certe per Christianos fuisse euenturum legant ex libris uatum suorum, sed ea legant, ubi si non Christus, quia eum deorum suorum uolunt fuisse cultorem, saltem deus Israhel inprobatus et detestatus sit, quem constat istorum euersorem. sed numquam hoc proferent, nisi quod modo forte confiuxerint. quod cum protulerint, apparebit eo ipso certe, quod tanta res tam ignota profertur, quae utique debuit, antequam hoc quod praedictum est accidisset, in deorum templis omnium gentium recitari, ut praestruerentur --et praemonerentur qui nunc nolunt esse Christiani.

Deinde quod de felicitatis rerum humanarum deminutione per christiana tempora conqueruntur, si libros philosophorum suorum legant ea reprehendentium quae nunc eis etiam recusantibus et murmurantibus subtrahuntur, tum uero magnam laudem repperient temporum christianorum. quid enim eis minuitur felicitatis, nisi quod pessime luxurioseque abutebantur in magnam creatoris iniuriam? nisi forte hinc sunt tempora mala, quia per omnes paene ciuitates cadunt theatra, caueae turpitudinum et publicae professiones flagitiorum, cadunt et fora uel moenia, in quibus demonia colebantur. unde enim cadunt nisi inopia rerum, quarum lasciuo et sacrilego usu constructa sunt? nonne Cicero eorum cum

Roscium quendam laudaret histrionem, ita peritum dixit, ut solus esset dignus qui in scaenam deberet intrare, ita uirum bonum, ut solus esset dignus qui eo non deberet accedere? quid aliud apertissime ostendens nisi illam scaenam esse tam turpem, ut tanto minus ibi homo esse debeat, quanto fuerit magis uir bonus? et tamen di eorum tali dedecore placabantur, quale a uiris bonis remouendum esse censebat. est etiam hinc eiusdem ipsius Ciceronis aperta confessio, ubi ait sibi Floram matrem ludorum celebritate placandam. in quibus ludis tanta exhiberi > turpitudo consueuit, ut in eorum conparatione ceteri honesti sint, a quibus tamen etiam ipsis agendis uiri boni prohibentur. quae ista est Flora mater, qualis dea est, quam celebrior et habenis effusioribus laxata conciliat et propitiat turpitudo? quanto iam honestius in scaenam Roscius intrabat, quam Cicero deam talem colebat? si deminuta rerum copia, quae in haec celebranda funduntur, di gentium offenduntur, apparet, quales sint qui talibus delectantur. si autem ipsi irati ista minuunt, utilius irascuntur quam placantur. quapropter aut philosophos suos arguant, qui talia in luxuriosis hominibus reprehenderunt, aut deos suos frangant, qui talia de suis cultoribus exegerunt, si tamen iam inueniunt uel quos frangant uel quos abscondant; Christianorum uero temporibus defectum rerum secundarum, quo in turpia et noxia diffluebant, blasphemando inputare desistant, ne magis nos unde amplius Christi potestas laudetur admoneant.

Multa hinc dicerem, nisi me iam librum istum concludere adque ad propositam intentionem redire suscepti operis necessitas cogeret. cum enim euangelicas quaestiones, ubi uidentur quibusdam quattuor euangelistae non inter se constare, soluere adgrederer, ut potui expositis intentionibus singulorum primo mihi discutiendum occurrit, quod nonnulli quaerere solent cur ipsius Christi nulla scripta proferamus. ita enim uolunt et ipsum credi nescio quid aliud scripsisse quod diligunt nihilque sensisse contra deos suos, sed eos potius magico ritu coluisse, et discipulos eius non solum de illo fuisse mentitos dicendo illum deum, per quem facta sunt omnia, cum aliud nihil quam homo fuerit quamuis excellentissimae sapientiae, uerum etiam de dis eorum non hoc docuisse quod ab illo didicissent. unde factum est, ut eos de deo Israhel potius urgeremus, qui per ecclesiam Christianorum ab omnibus gentibus colitur et istorum sacrilegas uanitates ubique iam euertit, sicut per prophetas suos tanto ante praedixit et per Christi nomen, in quo benedici omnes gentes promiserat, ea quae praedixit impleuit. ex quo intellegere debent nec Christum aliud de dis eorum uel nosse uel docere potuisse, quam deus Israhel per prophetas iussit adque praedixit, per quos ipsum Christum promisit et misit, in cuius nomine secundum pollicitationem, quam patribus fecit, cum benedicerentur omnes gentes, factum est, ut et ipse deus Israhel uniuersae terrae uocaretur, nec discipulos eius a sui magistri doctrina deuiasse, cum deos gentium coli prohibuerint, ne uel insensatis simulacris supplicaremus uel societatem cum demoniis haberemus uel creaturae potius quam creatori religionis obsequio seruiremus.

Quapropter, cum sit ipse Christus sapientia dei, per quam creata sunt omnia, cumque nullae mentes rationales siue angelorum siue hominum nisi participatione ipsius sapientes fiant, cui per spiritum sanctum, per quem caritas in cordibus nostris diffunditur, inhaeremus, quae trinitas unus deus est, consultum est diuina prouidentia mortalibus, quorum temporalis uita in rebus orientibus et occidentibus occupata tenebatur, ut eadem ipsa dei

sapientia ad unitatem personae suae homine adsumto, in quo temporaliter nasceretur, uiueret, moreretur, resurgeret, congrua saluti nostrae dicendo et faciendo, patiendo et sustinendo fieret et deorsum hominibus exemplum redeundi, qui sursum est angelis exemplum manendi. nisi enim et in animae rationalis natura temporaliter aliquid oreretur, id est inciperet esse quod non erat, numquam ex uita pessima et stulta ad sapientem adque optimam perueniret. ac per hoc, cum rebus aeternis contemplantium ueritas perfruatur, rebus autem ortis fides credentium debeatur, purgatur homo per rerum temporalium fidem, ut aeternarum percipiat ueritatem. nam et quidam eorum nobilissimus philosophus Plato in eo libro, quem Timaeum uocant, sic ait: quantum ad id quod ortum est aeternitas ualet, tantum ad fidem ueritas. duo illa sursum sunt, aeternitas et ueritas, duo ista deorsum, quod ortum est et fides. ut ergo ab imis ad summa reuocemur adque id quod ortum est recipiat aeternitatem, per fidem ueniendum est ad ueritatem. et quia omnia quae in contrarium pergunt per aliquid medium redducuntur, ab aeterna iustitia temporalis iniquitas nos alienabat, opus ergo erat media iustitia temporali, quae medietas temporalis esset de imis, iusta de summis, adque ita se nec abrumpens a summis et contemperans imis ima redderet summis. ideo Christus mediator dei et hominum dictus est inter deum inmortalem et hominem mortalem deus et homo, reconcilians hominem deo, manens id quod erat, factus quod non erat. ipse est nobis fides in rebus ortis qui est ueritas in aeternis.

Hoc magnum et inenarrabile sacramentum, hoc regnum et sacerdotium antiquis per prophetiam reuelabatur, posteris eorum per euangelium praedicatur. oportebat enim, ut aliquando in omnibus gentibus redderetur, quod diu per unam gentem promittebatur. proinde qui prophetas ante descensionem suam praemisit, ipse et apostolos post ascensionem suam misit. omnibus autem discipulis suis per hominem, quem adsumpsit, tamquam membris sui corporis caput est. itaque cum illi scripserunt quae ille ostendit et dixit, nequaquam dicendum est, quod ipse non scripserit, quandoquidem membra eius id operata sunt, quod dictante capite cognouerunt. quidquid enim ille de suis factis et dictis nos legere uoluit, hoc scribendum illis tamquam suis manibus imperauit. hoc unitatis consortium et in diuersis officiis concordium membrorum sub uno capite ministerium quisquis intellexerit, non aliter accipiet quod narrantibus discipulis Christi in euangelio legerit, quam si ipsam manum domini, quam in proprio corpore gestabat, scribentem conspexerit. quamobrem illa potius iam uideamus qualia sint quae putant euangelistas sibimet scripsisse contraria — quod pirum intellegentibus uideri potest —, ut his quaestionibus dissolutis ex hoc quoque appareat illius capitis membra non solum idem sentiendo, uerum etiam conuenientia scribendo in corporis ipsius unitate germanam seruasse concordiam. . LIBER PRIMUS: INCIPIT LIBER SECUNDUS AELS (corr. AURELII IPS2, AVGUSTINI JS1), AVRELIIAVGVSTINI EPI DECONSENSU EUANGELISTARUM EXPL LIB -I- INCIP. LIBER IIH, quaestiones librorum II., III., IV. omnes praem. ante librum primum fol. 1-4; inscr. INCIPIUNT CAPITULA QVAESTIONUM LIBRI SECUNDI H:

# Qvaestiones Siue Capitula Librorum Secundi, Tertii, Qvarti — Lib. II

Quare usque ad Ioseph generatores Christi commemorantur, cum de illius semine Christus non sit natus, sed de uirgine Maria?

Quomodo sit Christus filius Dauid, cum ex Ioseph filii Dauid concubitu non sit natus.

Quare alios progeneratores Christi Mattheus enumerat, alios Lucas?

Quare quadraginta generationes excepto ipso Christo inueniuntur aput Mattheum, cum quattuordecim triplicet?

Quomodo Matthei ordini congruat ordo Lucae in his quae de conceptu et de infantia uel pueritia Christi alius praetermittit, alius commemorat.

De ordine praedicationis Iohannis baptistae inter omnes quattuor.

De duobus Herodibus.

Quomodo Mattheus dicat timuisse Ioseph ire cum infante Christo in Hierusalem propter Archelaum et non timuisse ire in Galilaeam, ubi erat tetrarcha Herodes frater eius.

Quomodo dicat Mattheus ideo isse in Galilaeam Ioseph cum infante Christo, quia timuit Archelaum pro suo patre regnantem in Hierusalem, cum Lucas dicat ideo isse in Galilaeam, quia ibi erat Nazareth ciuitas eorum.

Quomodo Lucas dicit: ibant parentes eius per omnes annos in Hierusalem in die sollemni paschae cum illo puero, cum dicat Mattheus quod metu Archelai timuerint illuc ire ab Aegypto redeuntes?

Quomodo potuerint conpletis diebus purgationis matris Christi, sicut Lucas dicit, ascendere cum illo in templum ad peragenda sollemnia, si secundum Mattheum iam Herodi per magos notum erat eum natum, pro quo, cum eum quaereret, tot occidit infantes.

De uerbis Iohannis inter omnes quattuor.

De baptizato Iesu.

De uerbis uocis, quae facta est de caelo super baptizato.

Quomodo secundum Iohannem euangelistam dicat Iohannes baptista: ego non noueram eum, cum secundum alios inueniatur quod iam nouerat eum.

De temtato Iesu.

De uocatione discipulorum piscantium.

De tempore secessionis eius in Galilaeam.

De illo sermone prolixo, quem secundum Mattheum habuit in monte.

Quomodo dicat Mattheus centurionem ad eum accessisse pro puero suo, cum Lucas dicat quod amicos ad eum miserit.

De socru Petri, quo ordine narratum sit.

De ordine rerum, quas post hoc narrant, utrum nihil inter se dissentiant Mattheus, Marcus et Lucas.

De illo qui ait domino: sequar te quocumque ieris, et aliis quae iuxta sunt, quo ordine narrentur a Mattheo et Luca.

De transfretatione eius, ubi dormiuit in nauicula, et de expulsis demonibus, quos permisit in porcos, quomodo ea quae gesta uel dicta sunt conueniant inter Mattheum. Marcum et Lucam.

De paralytico, cui dixit: dimittuntur tibi peccata, et: tolle grabatum tuum, maxime, utrum locus, ubi hoc factum est, conueniat inter Mattheum et Marcum, quia Mattheus dicit in ciuitate sua, Marcus autem Capharnaum.

De uocatione quoque Matthei, utrum Marco et Lucae, qui dicunt Leuin Alphei, idem Mattheus congruat.

De conuiuio, ubi obiectum est ei, quod cum peccatoribus manducaret et quod non ieiunarent discipuli eius, quod uidetur alius alios dicere, a quibus obiectum sit, et de uerbis eorum responsisque domini, utrum Mattheus, Marcus et Lucas congruant.

De filia archisynagogi resuscitate et muliere, quae tetigit fimbriam uestimenti eius, utrum ordo, quo dicta sunt, nihil cuiquam eorum aduersetur, a quibus dicta sunt, et maxime de uerbis ipsius archisynagogi, quibus rogauit dominum.

De duobus caecis et muto demonio, quae solus Mattheus dicit.

Ubi turbarum misertus misit discipulos suos dans eis potestatem sanitatum praestandarum et eis multa mandauit ordinans, quemadmodum uiuerent, ubi quaerendum est quomodo Mattheus Marco et et Lucae congruat maxime de uirga, quam secundum Mattheum dicit non ferendam, secundum Marcum autem solam ferendam, et de habitu calciamentorum adque uestium.

Ubi Iohannes baptista misit ad Iesum de carcere discipulos, quod Mattheus et Lucas dicunt.

Ubi exprobrauit ciuitatibus quod non egerint paenitentiam quod et Lucas dicit, ubi quaerendum est quemadmodum illi Mattheus ipso ordine congruat.

Ubi uocat ad tollendum iugum et sarcinam suam, quemadmodum Mattheus a Luca non discrepet in narrandi ordine.

Ubi discipuli spicas uellentes manducauerunt, quemadmodum inter se congruant Mattheus, Marcus et Lucas in narrandi ordine.

De illo qui manum aridam cum haberet sabbato curatus est, quemadmodum narratio Matthei concordet cum Marco et Luca uel rerum ordine uel domini et Iudaeorum uerbis.

Considerandum utrum ab isto cuius arida manus sanata est. ita digrediantur hi tres euangelistae, ut ia nullo sibi aduersentur ipso ■arrationis ordine.

De muto et et eaeco), qui demonium habebat. quomodo Mattheus Lucasque consentiant.

Ubi ei dictum est quod in Bdzebul eicit demonia. quidquid ex ipsa occasione locutus est de blasphemia aduersus spiritum sanctum, et de duabus arboribus, utrum in nullo Mattheus a duobus aliis, maxime a Luca, dissentiat.

Quod respondit petentibus signum de Iona propheta et de Nineuitis et de regina Austri et de spiritu inmundo, qui cum exierit ab homine redit et inuenit domum mundatam. quemadmodum Mattheus Lucae congruat

Ubi ei nuntiata est mater et fratres eius, utrum a Marco et Luca ordo ipse non discrepet.

Quod ex nauicula turbis locutus est de illo cuius in seminando aliud cecidit in uia et cetera et de illo cui superseminata sunt zizania et de grano sinapis et de fermento, et quod in domo locutus est de thensauro abscondito in agro et de margarita et de sagena missa in mare et de proferente de thensauro noua et uetera, quomodo Marco et Lucae Mattheus consentiat uel in his quae cum illo dixerunt uel narrationis ordine.

Quod uenit in patriam suam et mirabantur doctrinam, cum genus eius contemnerent, quomodo consentiat Marco et Lucae Mattheus, maxime utrum narrandi ordo nihil alteri aduersetur.

Quemadmodum inter se conueniant Mattheus, Marcus et Lucas de uerbis Herodis, cum audisset de mirabilibus domini, uel de ipso narrationis ordine.

De Iohanne incluso uel etiam occiso, quo ordine ab his tribus narretur.

Ad miraculum de quinque panibus quo ordine ab omnibus et quemadmodum uentum sit.

In ipso de quinque panibus miraculo quemadmodum inter se omnes quattuor conueniant.

Quod ambulauit super aquas, quomodo qui hoc dixerunt inter se conueniant et quomodo ab illo loco digrediantur, ubi turbas de quinque panibus pauit.

Quomodo Mattheus et Marcus Iohanni non aduersentur in eo, quod ab eis tribus narratur, quid postea quam transfretarunt factum sit.

De muliere Cananaea, quae dixit: et canes edunt de micis cadentibus de mensa dominorum suorum, quomodo inter se Mattheus Lucasque consentiant.

Cum de septem panibus pauit turbas, utrum inter se Mattheus Marcusque conueniant.

Quod dicit Mattheus inde eum uenisse in fines Magedan, quomodo congruat Marco, et in eo quod petentibus signum respondit iterum de Iona.

De fermento Pharisaeorum, quomodo cum Marco conueniat uel re uel ordine.

Cum interrogauit discipulos quem illum dicerent homines, utrum nihil inter se repugnent Mattheus Marcus et Lucas rebus aut ordine.

Ubi pronuntiauit discipulis passionem suam, quae sit inter Mattheum, Marcum et Lucam conuenientia.

Ubi subiungunt idem tres quomodo praeceperit dominus, ut post eum qui uoluerit ueniat, quam secum concordent.

Quod se dominus tribus discipulis in monte ostendit cum Moyse et Helia, quomodo inter se congruant tres isti ordine et rebus et maxime propter, numerum dierum, quia Mattheus et Marcus dicunt post sex dies factum quod Lucas post octo.

Ubi de aduentu Heliae locutus est eis, quae sit conuenientia inter Mattheum et Marcum.

De. illo qui ei obtulit filium suum, quem discipuli sanare non potuerunt, quemadmodum tres isti consentiant etiam ordine narrationis.

Ubi de passione sua cum eis dixisset contristati sunt, quod tres ipsi eodem ordine commemorant.

Ubi de ore piscis soluit tributum, quod Mattheus solus dicit.

De puero paruulo, quem proposuit imitandum, de scandalis mundi, de membris corporis scandalizantibus, de angelis paruulorum, qui uident faciem patris, de una oue ex ouibus centum, de fratre corripiendo in secreto, de soluendis ligandisque peccatis, de concordia duorum et congregatione trium, de dimittendis peccatis usque septuagiens septiens, de

seruo, cui dimissum est multum debitum et ipse paruum non dimisit conseruo, Mattheus quemadmodum ceteris non repugnat.

Quando interrogatus est utrum liceat dimittere uxorem, quemadmodum inter se consentiant Mattheus et Marcus, maxime de ipsis interrogationibus uel domini uel Iudaeorum atque responsis, in quibus uidentur aliquantulum uariare.

De paruulis quibus manus inposuit, de diuite, cui dixit: uende omnia tua, de uinea, quo conducti sunt operarii per horas diuersas, quemadmodum Mattheus duobus aliis non repugnet.

Ubi secreto duodecim discipulis de passione sua praedixit et mater filiorum Zebedaei cum filiis suis petit, ut unus eorum ad dexteram eius, alter ad sinistram sederet, quomodo non repugnet Mattheus aliis duobus.

De caecis Hiericho inluminatis quemadmodum non aduersetur Mattheus uel Marco uel Lucae.

De asina et pullo, quomodo Mattheus ceteris congruat, qui solum pullum commemorant.

De expulsis de templo uendentibus et ementibus, quemadmodum tres isti non repugnent Iohanni, qui hoc idem longe alibi dicit.

De arefacta arbore ficulnea et quae iuxta narrata sunt, quemadmodum non repugnet Mattheus ceteris. maxime Marco, de ordine narrationis.

Cum dominum interrogauerunt Iudaei, in qua potestate ista faceret, quomodo inter se consentiant isti tres.

De duobus, quibus imperauit pater, ut irent in uineam, et de uinea, quae locata est aliis agricolis, quomodo non aduersetur Mattheus illis duobus, cum quibus eundem ordinem tenet, et maxime in hac parabola, quam omnes tres dicunt de uinea locata, propter responsionem eorum quibus dicebatur, ubi aliquantum uidetur uariare.

De nuptiis filii regis, ad quas turbae inuitatae sunt, quem Mattheus ordinem tenuerit propter Lucam, qui tale quiddam alibi dixit.

De nummo Caesari reddendo, cuius habebat imaginem, et de muliere, quae septem fratribus nupserat, quemadmodum tres isti concordent.

De illo, cui commendata sunt duo praecepta dilectionis dei et proximi, qui ordo sit narrantium Matthei et Marci, 118 a Luca discrepare uideantur, qui tale aliquid alibi dicit.

Quod Iudaei interrogantur de Christo, cuius eis filius uideatur, utrum non repugnet Mattheus aliis duobus, quia secundum istum dicitur: quid uobis uidetur de Christo? cuius est filius? cui responderunt: Dauid, secundum illos autem: quomodo dicunt scribae Christum filium esse Dauid?

De Pharisaeis sedentibus super cathedram Moysi et dicentibus quae non faciunt ceterisque in eosdem Pharisaeos a domino dictis, utrum sermo Matthei congruat aliis duobus et maxime Lucae, qui non hoc ordine, sed alibi similem commemorat.

Cum praenuntiauit templi euersionem, quomodo aliis duobus narrandi ordine congruat.

De sermone, quem habuit in monte Oliueti, quaerentibus discipulis: quando erit consummatio? quemadmodum tres isti inter se congruant-

Quod commemorant Mattheus et Marcus ante biduum futurae paschae et postea dicunt quod in Bethania fuit, quomodo non repugnet Iohanni, qui cum ipsis narrat hoc idem quod factum est in Bethania et dicit: ante sex dies paschae.

De cena in Bethania, ubi mulier ungento pretioso dominum perfudit, quomodo inter se congruant Mattheus, Marcus et Iohannes et quomodo Lucae non aduersentur tale aliquid alio tempore commemoranti.

Ubi mittit discipulos, ut praeparent ei manducare pascha, quomodo inter se congruant Mattheus, Marcus et Lucas.

# Lib. III

De cena domini et de expresso traditore eius, quemadmodum inter se quattuor conueniant.

De praedicta negatione Petri, quemadmodum ostendantur nihil inter se repugnare.

De his quae dicta sunt a domino, donec exiret de domo, ubi cenauerant, quemadmodum nihil discrepare monstrentur.

De his quae gesta sunt in illo praedio uel horto, quo ex illa domo post cenam uenerunt, quomodo trium, id est Matthei, Marci et Lucae, consonantia demonstretur, quoniam Iohannes de hoc tacet.

De his quae in eius adprehensione facta et dicta omnes commemorant, quomodo eos inter se nihil appareat dissentire.

De his quae gesta sunt, cum duceretur dominus ad domum principis sacerdotum, et quae in ipsa domo, cum nocte perductus esset, et maxime de Petri negatione, quemadmodum inter se omnes congruant.

De his quae mane gesta sunt, priusquam Pilato traderetur, quomodo euangelistae inter se non discrepent, et de testimonio Hieremiae, quod Mattheus propter domini pretium interposuit, cum hoc in eiusdem prophetae scriptura non inueniatur.

De his quae aput Pilatum gesta sunt, quomodo inter se nihil dissentiant.

De inlusione, qua inlusus est a cohorte Pilati, quomodo non dissonent tres qui hoc dicunt, Mattheus, Marcus, Iohannes.

Quomodo non repugnet, quod Mattheus, Marcus et Lucas angariatum dicunt, qui portaret eius crucem, cum Iohannes dicat, quod eam Iesus ipse portauerit.

De potu, quem dederunt ei, priusquam commemorata esset eius crucifixio, quomodo conueniat inter Mattheum et Marcum.

De diuisione uestimentorum eius, quemadmodum inter se omnes consentiant.

De hora dominicae passionis, quemadmodum non inter se dissentiant Marcus et Iohannes propter tertiam et sextam.

De duobus latronibus cum illo crucifixis, quomodo omnes concordent.

De his qui domino insultauerunt, quomodo inter se consonent Mattheus, Marcus et Lucas.

De latronum insultatione, quomodo non repugnent Mattheus et Marcus Lucae, qui dixit unum eorum insultasse, alium credidisse.

De potu aceti, quomodo inter se omnes consentiant.

De uocibus domini. quas continuo moriturus emisit, quomodo non repugnent Mattheus et Marcus Lucae et ipsi tres Iohanni.

De scissione ueli, quomodo non dissentiant Mattheus et Marcus a Luca, quo ordine factum sit.

De admiratione centurionis et eorum qui cum illo erant, quomodo inter se consentiant Mattheus, Marcus et Lucas.

De mulieribus, quae ibi stabant, quomodo Mattheus, Marcus et Lucas, qui dixerunt eas longe stetisse, non repugnent lohanni, qui nominauit unam earum iuxta crucem stetisse.

De Ioseph, qui corpus domini petiuit a Pilato, quomodo omnes consentiant et quomodo a se ipso Iohannes non dissentiat.

De sepultura eius, quomodo tres a Iohanne non dissentiant.

De his quae circa tempus resurrectionis domini facta sunt, quemadmodum omnes non inter se dissentiant.

XXV. In eo quod se postea discipulis manifestauit, quomodo sibi omnes euangelistae non aduersentur conlatis testimoniis et de apostolo Paulo et de actibus apostolorum.

# Lib. IIII

In euangelio Marci exceptis his, quae cum Mattheo dixit, quomodo nulla repugnantia demonstretur ab initio usque ad illud, ubi ait: et ingrediuntur Caphar naum et statim sabbatis docebat eos, quod cum Luca dicit.

De homine, a quo spiritus inmundus eiectus est conuexans e u m, quomodo Lucae, qui hoc cum eo dixit, non repugnet.

De nomine Petri quomodo etiam adque etiam commendetur non repugnare Iohanni, qui dixit, quando hoc nomen acceperit.

Quod dixit: quanto magis eis praecipiebat ut tacerent, tanto magis plus dicebant, quomodo non repugnet praescientiae ipsius; quae in euangelio commendatur.

De quo suggessit Iohannes quod in nomine eius eiceret demonia non sociatus discipulis et dixit: nolite prohibere, qui enim contra uos non est, pro uobis est, quomodo non repugnet illi sententiae, ubi ait: qui non est mecum, aduersus me est.

Quod in occasione huius qui in nomine Christi eiciebat demonia, quamuis cum discipulis non sequeretur, Marcus amplius quam Lucas dominum dixisse narrauit, quomodo ostendatur ad hoc ipsum pertinere quod illum in nomine suo uirtutem facientem uetuit prohiberi.

Hinc usque ad cenam domini unde omnia omnium considerari coeperunt nullam de Marco quaestionem esse tractatam.

De Lucae euangelio quomodo principium eius congruat principio libri actuum apostolorum.

Quomodo ostendatur quod de piscibus captis Lucas commemorauit non pertinere ad illud quod uidetur simile Iohannes narrasse post domini resurrectionem adque inde iam usque ad cenam domini, unde omnium omnia usque in finem considerata sunt, nullam etiam ex euangelio Lucae tractatam esse quaestionem.

De Iohanne euangelista, quid a tribus ceteris distet.

# Liber Secundus

Quoniam sermone non breui et admodum necessario, quem libro uno conplexi sumus, refutauimus eorum uanitatem qui discipulos Christi euangelium conscribentes ideo contemnendos putant, quia ipsius Christi, quem licet non ut deum, tamen ut hominem sapientia longe prae ceteris excellentem honorandum esse non dubitant, nulla scripta proferuntur a nobis, et eum talia scripsisse uideri uolunt, qualia peruersi diligunt, non qualibus lectis et creditis a peruersitate corrigi possunt, nunc iam uideamus ea quae quattuor euangelistae de Christo scripserunt quemadmodum sibi adque inter se congruant, ne quid ei hoc in fide christiana offendiculi patiantur qui curiosiores quam capaciores sunt, quod non utcumque perlectis, sed quasi diligentius perscrutatis euangelicis libris inconuenientia quaedam et repugnantia se deprehendisse existimantes magis ea contentiose obiectanda quam prudenter consideranda esse arbitrantur.

Mattheus euangelista sic orsus est: liber generationis Iesu Christi, fili Dauid, fili Abraham. quo exordio suo satis ostendit generationem Christi secundum carnem se suscepisse narrandam. secundum hanc enim Christus filius hominis est, quod etiam se ipse saepissime appellat commendans nobis, quid misericorditer dignatus sit esse pro nobis. nam illa superna et aeterna generatio, secundum quam filius dei unigenitus est ante omnem creaturam, quia omnia per ipsum facta sunt, ita ineffabilis est, ut de illa dictum a propheta intellegatur: generationem eius quis enarrabit? exsequitur ergo humanam generationem Christi Mattheus ab Abraham generatores commemorans, quos perducit ad Ioseph uirum Mariae, de qua natus est Iesus. neque enim fas erat ut eum ob hoc a coniugio Mariae separandum putaret, quod non ex eius concubitu, sed uirgo peperit Christum. hoc enim exemplo magnifice insinuatur fidelibus coniugatis etiam seruata pari consensu continentia posse permanere uocarique coniugium non permixto corporis sexu, sed custodito mentis affectu, praesertim quia nasci eis etiam filius potuit sine ullo conplexu carnali, qui propter solos gignendos filios adhibendus est neque enim propterea non erat appellandus Ioseph pater Christi, quia non eum concumbendo genuerat, quando quidem recte pater esset etiam eius quem non ex sua coniuge procreatum alicunde adoptasset.

Pulabatur quidem Christus etiam aliter filius Ioseph, tamquam ex eius omnino carne progenitus, sed ab eis hoc putabatur quos Mariae latebat uirginitas. nam Lucas ait: et ipse Iesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur, filius Ioseph. qui tamen Lucas

non eius parentem solam Mariam, sed ambos parentes eius appellare minime dubitauit, ubi ait: puer autem crescebat et confortabatur plenus sapientia, et gratia dei erat in illo. et ibant parentes eius per omnes annos in Hierusalem in die sollemni paschae. sed ne quisquam hic parentes consanguineos potius Mariae cum ipsa matre eius intellegendos putet, quid ad illud respondebit quod ipse item Lucas superius dixit: et erat pater eius et mater mirantes super his quae dicebantur de illo? cum igitur ipse narret non ex concubitu Ioseph, sed ex . Maria uirgine natum Christum, unde eum patrem eius appellat, nisi quia et uirum Mariae recte intellegimus sine commixtione carnis ipsa copulatione coniugii et ob hoc etiam Christi patrem multo coniunctius, qui ex eius coniuge natus sit, quam si ei esset aliunde adoptatus? unde manifestum est illud, quod ait: sicut putabatur, filius Ioseph, propter illos dixisse, qui eum ex Ioseph, sicut alii homines nascuntur, natum arbitrabantur.

II. Ac per hoc, etiamsi demonstrare aliquis posset Mariam ex Dauid nullam consanguinitatis originem ducere, sat erat secundum istam rationem accipere Christum filium Dauid, qua ratione etiam Ioseph pater eius recte appellatus est: quanto magis, quia, cum euidenter dicat apostolus Paulus ex semine Dauid secundum carnem Christum, ipsam quoque Mariam de stirpe Dauid aliquam consanguinitatem duxisse dubitare utique non debemus! cuius feminae quoniam nec sacerdotale genus tacetur insinuante Luca, quod cognata eius esset Elisabeth. quam dicit de filiabus Aaron, firmissime tenendum est carnem Christi ex utroque genere propagatam, et regum scilicet et sacerdotum, in quibus personis aput illum populum Hebraeorum etiam mystica unctio figurabatur, id est chrisma, unde Christi nomen elucet tanto ante etiam ista euidentissima significatione praenuntiatum.

III. Quos autem mouet, quod alios progeneratores Mattheus enumerat descendens a Dauid usque ad Ioseph, alios autem Lucas ascendens a Ioseph usque ad Dauid, facile est, ut aduertant duos patres habere potuisse Ioseph, unum a quo genitus, alterum a quo fuerit adoptatus. antiqua est enim consuetudo adoptandi etiam in illo populo dei, ut sibi filios facerent, quos non ipsi genuissent. nam excepto quod filia Pharaonis Moysen adoptauerat — illa quippe alienigena fuit — ipse Iacob nepotes suos ex Ioseph natos uerbis manifestissimis adoptauit dicens: nunc itaque filii tui duo, qui facti sunt tibi, priusquam ad te uenirem, mei sunt, Efrem et Manasse tamquam Ruben et Symeon erunt mihi. natos autem si genueris postea, tibi erunt. unde etiam factum est, ut d-uodecim tribus essent Israhel excepta tribu Leui, quae templo seruiebat; cum ea quippe tredecim fuerunt, cum duodecim fuissent filii Iacob. unde intellegitur Lucas patrem Ioseph, non a quo genitus, sed a quo fuerat adoptatus, suscepisse in euangelio suo, cuius progenitores sursum uersus commemoraret, donec exiret ad Dauid. cum enim necesse sit utroque euangelista uera narrante, et Mattheo scilicet et Luca, ut unus eorum eius patris originem tenuerit, qui genuerat, alter eius, qui adoptauerat Ioseph, quem probabilius intellegimus adoptantis originem tenuisse quam eum, qui noluit Ioseph genitum dicere ab illo, cuius eum filium esse narrabat? commodius enim filius eius dictus est, a quo fuerat adoptatus, quam diceretur ab illo genitus, cuius carne non erat natus. Mattheus autem dicens: Abraham genuit Isaac, Isaac genuit Iacob, adque ita in hoc uerbo quod est genuit perseuerans, donec in ultimo diceret: Iacob autem genuit Ioseph, satis

expressit ad eum patrem se perduxisse ordinem generantium, a quo Ioseph non adoptatus, sed genitus erat.

Quamquam si etiam Lucas genitum diceret loseph ab Heli, nec sic nos hoc uerbum perturbare deberet, ut aliud crederemus quam ab uno euangelista gignentem, ab altero adoptantem patrem fuisse commemoratum. neque enim absurde dicitur quisque non carne, sed caritate genuisse, quem filium sibi adoptauerit, aut uero etiam nos, quibus dedit deus potestatem filios eius fieri, de natura adque substantia sua nos genuit sicut unicum filium, sed utique dilectione adoptauit. quo uerbo apostolus saepe uti non ob aliud intellegitur, nisi ad discernendum unigenitum ante omnem creaturam, per quem facta sunt omnia, qui solus de substantia patris natus est, secundum aequalitatem diuinitatis hoc omnino quod pater, quem missum dicit ad suscipiendum carnem ex illo genere, quo et nos secundum naturam nostram sumus, ut illo participante mortalitatem nostram per dilectionem nos efficeret participes diuinitatis suae per adoptionem. ita enim dicit: cum autem uenit plenitudo temporis, misit deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret, ut adoptionem filiorum recipiamus. et tamen dicimur etiam nati ex deo, id est accepta potestate, ut filii eius efficiamur, qui iam homines eramus, efficiamur autem per gratiam, non per naturam. nam si per naturam filii essemus, numquam aliud fuissemus. cum enim dixisset Iohannes: dedit eis potestatem filios dei fieri, his qui credunt in nomine eius, secutus ait: qui non ex sanguinibus neque ex uoluntate carnis neque ex uoluntate uiri, sed ex deo nati sunt. ita quos dixit accepta potestate factos dei filios?, quod illa adoptio significat, quam Paulus commemorat, eosdem dixit natos ex deo. adque ut apertius ostenderet, qua gratia factum sit, et uerbum, inquit, caro factum est et habitauit in nobis, tamquam diceret: quid mirum, si filii dei facti sunt, cum caro essent, propter quos unicus caro factus est, cum uerbum esset? hac sane magna distantia, quia nos effecti filii dei mutamur in melius, ille autem filius dei, cum filius hominis factus esset, non est mutatus in deterius, sed adsumsit quod erat inferius. dicit et Iacobus: uoluntarie genuit nos uerbo ueritatis, ut simus initium aliquod creaturae eius. ne scilicet in eo quod ait genuit hoc nos fieri putaremus quod ipse est, ideo principatum quendam in creatura nobis hac adoptione concessum satis ostendit.

Non ergo alienum esset a ueritate, etiamsi Lucas ab illo esse Ioseph genitum diceret, a quo fuerat adoptatus. etiam sic quippe genuit eum, non ut homo esset, sed ut filius esset, sicut nos genuit deus, ut filii eius simus, quos fecerat, ut homines essemus. unicum autem genuit, non solum ut filius esset, quod pater non est, sed etiam ut deus esset, quod et pater est. sed plane si hoc uerbo etiam Lucas uteretur, omni modo esset ambiguum, quis eorum adoptantem, quis ex propria carne gignentem patrem commemorasset, quomodo, etsi neuter eorum diceret genuit, sed et iste eum filium illius et ille illius diceret, nihilo minus esset ambiguum, quis eorum illum, de quo natus, quis illum, a quo adoptatus erat. commemorasset. nunc uero cum alter dicit: Iacob genuit Ioseph, alter: Ioseph, qui fuit filius Heli, etiam ipsa uerborum differentia quid singuli suscepissent eleganter intimauerunt. sed hoc facile sane, ut dixi, posset occurrere homini religioso, qui quodlibet aliud quaerendum potius iudicaret, quam euangelistam crederet esse mentitum, facile, inquam, occurreret, ut uideret,

quibus causis homo unus duos patres habere potuerit. hoc et illis calumniosis occurreret, nisi litigare quam considerare maluissent.

IIII. Illud autem quod deinceps insinuandum est, re uera ut aduerti et uideri posset, lectorem adtentissimum et diligentissimum requirebat. acute quippe animaduersum est Mattheum, qui regiam in Christo instituerat insinuare personam, excepto ipso Christo quadraginta homines in generationum serie nominasse. numerus autem iste illud tempus significat, quo in hoc saeculo et in hac terra regi nos oportet a Christo secundum disciplinam laboriosam, qua flagellat deus, ut scriptum est, omnem filium, quem recipit, de qua dicit apostolus per tribulationem nos oportere intrare in regnum dei. quam significat etiam illa uirga ferrea, de qua in psalmo legitur: reges eos in uirga ferrea, cum superius dixisset: ego autem em constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius. reguntur enim etiam boni in uirga ferrea, de quibus dicitur: tempus, ut iudicium incipiat a domo domini, et si initium a nobis, qualis finis erit eis qui non credunt dei euangelio? et si iustus uix saluus erit, peccator et impius ubi parebunt? ad quos pertinet quod sequitur: tamquam uas figuli conteres eos. reguntur enim boni per hanc disciplinam, mali comminuuntur, qui tamquam idem ipsi commemorantur propter una adque eadem sacramenta, quae habent communia mali cum bonis.

Quia ergo numerus iste laboriosi huius temporis sacramentum est, quo sub disciplina regis Christi aduersus diabolum dimicamus, etiam illud declarat, quod quadraginta dierum ieiunium, hoc est humilationem animae, consecrauit et lex et prophetae per Moysen et Helian, qui quadragenis diebus ieiunauerunt, et euangelium per ipsius domini ieiunium, quibus diebus quadraginta etiam temptabatur a diabolo, quid aliud quam per omne huius saeculi tempus temptationem in carne sua, quam de nostra mortalitate adsumere dignatus est, praefigurans? post resurrectionem quoque non amplius quam dies quadraginta cum discipulis in hac terra esse uoluit huic eorum uitae adhuc humana conuersatione commixtus et cum illis alimenta mortalium, quamuis iam non moriturus, accipiens, ut per ipsos quadraginta dies significaret se occulta praesentia, quod promiserat, impleturum, quando ait: ecce ego uobiscum sum usque in consummationem saeculi. cur autem iste numerus hanc temporalem terrenamque significet uitam, illa interim causa de proximo occurrit, quamuis sit alia fortasse secretior, quod et tempora annorum quadripertitis uicibus currunt et mundus ipse quattuor partibus terminatur, quas aliquando uentorum nomine scriptura commemorat, ab oriente et occidente, ab aquilone et meridie. quadraginta autem quater habent decem. porro ipsa decem ab uno usque ad quattuor progrediente numero consummantur.

Ad hunc igitur mundum et ad istam terrenam mortalemque uitam hominum ad nos regendos in temptatione laborantes uenientem regem Christum Mattheus suscipiens exorsus est ab Abraham et enumerauit quadraginta homines. ipsa enim gente Hebraeorum, quae a ceteris gentibus ut distingueretur, deus de terra sua et de cognatione sua separauit Abraham, Christus uenit in carne, ut et hoc ad eum distinctius prophetandum et praenuntiandum maxime pertineret, quod promittebatur, ex qua esset gente uenturus. cum enim quater denas generationes tribus distinxisset articulis dicens ab Abraham usque ad Dauid gener-

ationes esse quattuordecim et a Dauid usque ad transmigrationem Babyloniae alias quattuordecim totidemque alias usque ad natiuitatem Christi, non tamen eas duxit in summam ut diceret: fiunt omnes quadraginta duae. unus quippe in illis progeneratoribus bis numeratur, id est Iechonias, a quo facta est quaedam in extraneas gentes deflexio, quando in Babyloniam transmigratum est. ubi autem ordo a rectitudine flectitur adque, ut eat in diuersum, tamquam angulum facit, illud quod in angulo est bis numeratur, in fine scilicet prioris ordinis et in capite ipsius deflexionis. et hoc ipsum etiam praefigurabat Christum a circumcisione ad praeputium, tamquam ab Hierusalem ad Babyloniam quodammodo migraturum et hinc adque hinc utrisque in se credentibus tamquam lapidem angularem futurum. haec tunc in figura praeparabat deus rebus in ueritate uenturis. nam et ipse Iechonias, ubi angulus iste praefiguratus est, interpretatur \'praeparatio dei\'. sic ergo iam non quadraginta duae, quod faciunt ter quattuordecim, sed propter unum bis numeratum quadraginta una generationes fiunt, si et ipsum Christum adnumeremus, qui huic regendae uitae nostrae temporali adque terrenae tamquam numero quadragenario regaliter praesidet.

Quem ad istam mortalitatem nobiscum participandam quia descendentem uoluit significare Mattheus, ideo et ipsas generationes ab Abraham usque ad Ioseph et usque ad ipsius Christi natiuitatem descendendo commemorauit ab initio euangelii sui. Lucas autem non ab initio, sed a baptismo Christi generationes enarrat, nec descendendo, sed ascendendo. tamquam sacerdotem in expiandis peccatis magis signans, ubi eum uox de caelo declarauit, ubi testimonium Iohannes ipsi perhibuit dicens: ecce qui tollit peccata mundi. ascendendo autem transit et Abraham et peruenit ad deum, cui mundati et expiati reconciliamur. merito et adoptionis originem ipse suscepit, quia per adoptionem efficimur filii dei credendo in filium dei. per carnalem uero generationem filius dei potius propter nos filius hominis factus est. satis autem demonstrauit non se ideo dixisse Ioseph filium Heli, quod de illo genitus, sed quod ab illo fuerit adoptatus, cum et ipsum Adam filium dixit dei, cum sit factus a deo, sed per gratiam quam postea peccando amisit tamquam filius in paradiso constitutus sit.

Quapropter in generationibus Matthei significatur nostrorum susceptio peccatorum a domino Christo, in generationibus autem Lucae significatur abolitio nostrorum peccatorum a domino Christo. ideo eas ille descendens enarrat, iste ascendens. quod enim dicit apostolus: misit deus filium suum in similitudinem carnis peccati, haec est susceptio peccatorum; quod autem addit: ut de peccato damnaret peccatum in carne, haec est expiatio peccatorum. proinde Mattheus ab ipso Dauid per Salomonem descendit, in cuius matre ille peccauit; Lucas uero ad ipsum Dauid per Nathan ascendit, per quem prophetam deus peccatum illius expiauit. ipse quoque numerus, quem Lucas exsequitur, certissime prorsus abolitionem indicat peccatorum. quia enim Christi aliqua iniquitas, qui nullam habuit, non est utique coniuncta iniquitatibus hominum, quas in sua carne suscepit, ideo numerus penes Mattheum excepto Christo est quadragenarius. quia uero iustitiae suae patrisque nos expiatos ab omni peccato purgatosque coniungit, ut fiat quod ait apostolus: qui autem adhaeret domino unus spiritus est, ideo in eo numero, qui est penes Lucam, et ipse Christus, a quo incipit enumeratio, et deus, ad quem peruenit, connumerantur

et fit numerus septuaginta septem, quo significatur omnium prorsus remissio et abolitio peccatorum. quam etiam ipse dominus per huius numeri mysterium euidenter expressit dicens remittendum esse peccanti non solum septiens, sed etiam septuagiens septiens.

Nec frustra iste numerus ad peccatorum omnium pertinet mundationem, si diligentius inquiratur. denarius quippe tamquam iustitiae numerus in decem praeceptis legis ostenditur. porro peccatum est legis transgressio et utique transgressio denarii numeri congruenter undenario figuratur, unde et uela cilicina iubentur in tabernaculo undecim fieri. quis autem dubitet ad peccati significationem cilicium pertinere? ac per hoc quia uniuersum tempus septenario dierum numero uoluitur, conuenienter undenario septiens multiplicato ad numerum septuagensimum et septimum cuncta peccata perueniunt. in quo numero etiam fit plenaria remissio peccatorum expiante nos carne sacerdotis nostri, a quo nunc iste numerus incipit, et reconciliante nos deo, ad quem nunc iste numerus peruenit per spiritum sanctum, qui columbae specie in hoc baptismo, ubi numerus iste commemoratur, apparuit.

Post enumeratas generationes Mattheus ita sequitur: Christi autem generatio sicerat. cum esset desponsata mater eius Maria Ioseph, antequam conuenirent, inuenta est in utero habens de spiritu sancto. hoc quemadmodum factum sit, quod hic praetermisit, Lucas exposuit post commemoratum conceptum Iohannis ita narrans: in mense autem sexto missus est angelus Gabrihel a domino in ciuitatem Galilaeae, cui nomen Nazareth, ad uirginem desponsatam uiro, cui nomen erat Ioseph, de domo Dauid, et nomen uirginis Maria. et ingressus angelus ad eam dixit: haue, gratia plena, dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. quae cum uidisset, turbata est in sermone eius et cogitabat qualis esset ista salutatio. et ait angelus ei: ne timeas, Maria, inuenisti enim gratiam aput deum. ecce concipies in utero et paries filium et uocabis nomen eius Iesum: hic erit magnus et filius altissimi uocabitur, et dabit illi dominus deus sedem Dauid patris eius, et regnabit in domo Iacob in aeternum et regni eius non erit finis. dixit autem Maria ad angelum: quomodo fiet istud, quoniam uirum non cognosco? et respondens angelus dixit ei: spiritus sanctus superueniet in te et uirtus altissimi obumbrabit tibi, ideoque et quod nascetur sanctum uocabitur filius dei, et cetera quae ad id quod nunc agitur non pertinent. hoc ergo Mattheus commemorauit de Maria: inuenta est in utero habens de spiritu sancto, nec contrarium est quia Lucas exposuit id quod Mattheus praetermisit, cum de spiritu sancto Mariam concepisse uterque testetur, sicut non est contrarium quia Mattheus deinceps conectit quod Lucas praetermittit. sequitur enim et dicit Mattheus: Ioseph autem uir eius cum esset iustus et nollet eam traducere, uoluit occulte dimittere eam. haec autem eo cogitante ecce angelus domini in somnis apparuit ei dicens: Ioseph, fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam; quod enim in ea natum est, de spiritu sancto est. pariet autem filium et uocabis nomen eius Iesum; ipse enim. saluum faciet populum suum a peccatis eorum. hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est a domino per prophetam dicentem: ecce uirgo in utero habebit et pariet filium, et uocabunt nomen eius Emmanuhel, quod est interpretatum \'nobiscum deus.\' exsurgens autem Ioseph a somno fecit sicut praecepit ei angelus domini et accepit coniugem suam: et non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum,

et uocauit nomen eius Iesum. cum ergo natus esset Iesus in Bethleem Iudaeae in diebus Herodis regis, et cetera.

De ciuitate Bethleem Mattheus Lucasque consentiunt; sed quomodo et qua causa ad eam uenerint Ioseph et Maria, Lucas exponit, Mattheus praetermittit. contra de magis ab oriente uenientibus Lucas tacet, Mattheus dicit ita contexens: ecce magi ab oriente uenerunt Hierosolymam dicentes: ubi est qui natus est rex Iudaeorum? uidimus enim stellam eius in oriente et uenimus adorare eum. audiens autem Herodes rex turbatus est, et cetera usque ad eum locum, ubi scriptum est de ipsis magis quod responso accepto in somnis, ne redirent per Herodem, per aliam uiam regressi sunt in regionem suam. hoc totum Lucas praetermisit, sicut Mattheus non narrauit, quod Lucas narrat, in praesepi positum dominum et quod pastoribus eum natum angelus nuntiauerit et quod multitudo militiae caeli facta est cum angelo laudantium deum et quod uenerunt pastores et uiderunt uerum esse quod eis angelus nuntiauerit et quod die circumcisionis suae nomen acceperit, et quae post impletos dies purgationis Mariae idem Lucas narrat, quod attulerit eum ad Hierusalem, et de Symeone uel Anna, quae dixerint de illo in templo, posteaquam cognouerunt eum impleti spiritu sancto. omnia haec tacet Mattheus.

Unde merito quaeritur, quando facta sint siue quae Mattheus praetermittit et Lucas dicit siue quae Lucas praetermittit et Mattheus dicit. quando quidem Mattheus regressis in regionem suam magis, qui uenerant ab oriente, sequitur et narrat Ioseph ab angelo admonitum, ut cum infante in Aegyptum fugeret, ne ab Herode necaretur, deinde Herodem illo non inuento a bimatu et infra pueros occidisse, defuncto autem Herode redisse ab Aegypto et audito quod Archelaus in Iudaea regnaret pro Herode patre suo habitasse cum puero in regione Galilaeae ciuitate Nazareth, quae omnia Lucas tacet. nec ideo contrarium uideri potest, quod uel hic dicit, quae ille praetermittit uel ille commemorat quae iste non dicit. sed quaeritur: quando potuerunt fieri quae contexit Mattheus de profectione in Aegyptum adque inde regressione post Herodis mortem, ut iam in ciuitate Nazareth habitarent, quo eos Lucas, posteaquam perfecerunt in templo circa puerum omnia secundum legem domini, reuersos esse commemorat? hic proinde cognoscendum est quod deinceps ad cetera talia ualeat, ne similiter moueant animumque conturbent, sic unumquemque euangelistam contexere narrationem suam, ut tamquam nihil praetermittentis series digesta uideatur; tacitis enim quae non uult dicere sic ea quae uult dicere illis quae dicebat adiungit, ut ipsa continuo sequi uideantur. sed cum alter dicit quae alter tacuit, diligenter ordo consideratus indicat locum, ubi ea potuerit, a quo praetermissa sunt, transilire, ut ea quae dicere intenderat ita superioribus copularet, tamquam ipsa nullis interpositis sequerentur. ac per hoc intellegitur Mattheus, ubi ait somnio admonitos magos, ne redirent per Herodem, et per aliam uiam regressos in regionem suam, illic praetermisisse quae Lucas narrauit gesta circa dominum in templo et dicta a Symeone et Anna, ubi rursus Lucas praetermittens profectionem in Aegyptum, quam narrat Mattheus, tamquam continuam contexuit regressionem ad ciuitatem Nazareth.

Si quis autem nelit unam narrationem ex omnibus quae de Christi natiuitate et infantia uel pueritia in utriusque narratione ab alterutro seu dicuntur seu praetermittuntur, ordinare sic potest: Christi autem generatio sic erat. fuit in diebus Herodis regis Iuda sacerdos quidam nomine Zacharias de uice Abia et uxor illi de filiabus Aaron et nomen eius Elisabeth. erant autem iusti ambo ante deum, incedentes in omnibus mandatis et iustificationibus domini sine querella. et non erat illis filius eo quod esset Elisabeth sterilis et ambo processissent in diebus suis. factum est autem, cum sacerdotio fungeretur in ordinem uicis suae ante deum ante deum, secundum consuetudinem sacerdotii sorte exiit, ut incensum poneret ingressus in templum domini, et omnis multitudo erat populi orans foris hora incensi. apparuit autem illi angelus domini stans a dextris altaris incensi et Zacharias turbatus est uidens et timor inruit super eum. ait autem ad illum angelus: ne timeas, Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua et uxor tua Elisabeth pariet tibi filium et uocabis nomen eiuslohannem: et erit. gaudium tibi et exultatio et multi in natiuitate eius gaudebunt; erit enim magnus coram domino et uinum et siceram non bibet et spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suae et multos filiorum Israhel conuertet ad dominum deum ipsorum et ipse praecedet ante illum in spiritu et uirtute Heliae, ut conuertat corda patrum in filios et incredulos ad prudentiam iustorum parare domino plebem perfectam. et dixit Zacharias ad angelum: unde hoc sciam? ego enim sum senex et uxor mea processit in diebus suis. et respondens angelus dixit ei: ego sum Gabrihel qui adsisto ante deum et missus sum loqui ad te et haec tibi euangelizare: et ecce eris tacens et non poteris loqui usque in diem, quo haec fiant, pro eo quod non credidisti uerbis meis, quae implebuntur in tempore suo. et erat plebs expectans Zachariam et mirabantur quod tardaret ipse in templo. egressus autem non poterat loqui ad illos et cognouerunt quod uisionem uidisset in templo. et ipse erat innuens illis et permansit mutus. et factum est, ut impleti sunt dies officii eius, abiit in domum suam. post hos autem dies concepit Elisabeth uxor eius et occultabat se mensibus quinque dicens: quia sic mihi fecit dominus in diebus, quibus respexit auferre obprobrium meum inter homines. in mense autem sexto missus est angelus Gabrihel a domino in ciuitatem Galilaeae, cui nomen Nazareth, ad uirginem desponsatam uiro, cui nomen erat Ioseph, de domo Dauid. et nomen uirginis Maria. et ingressus angelus ad eam dixit: haue, gratia plena dominus tecum, benedicta tu inter mulieribus. quae cum uidisset, turbata est in sermone eius et cogitabat, qualis esset ista salutatio. et ait angelus ei: ne timeas, Maria, inuenisti enim gratiam aput deum; ecce concipies in utero et paries filium et uocabis nomen eius Iesum; hic erit magnus et filius altissimi uocabitur et dabit illi dominus deus sedem Dauid patris eius, et regnabit in domo Iacob in aeternum et regni eius non erit finis. dixit autem Maria ad angelum: quomodo fiet istud, quoniam uirum non cognosco? et respondens angelus dixit ei: spiritus sanctus superueniet in te et uirtus altissimi obumbrabit tibi, ideoque et quod nascetur sanctum uocabitur filius dei, et ecce Elisabeth cognata tua et ipsa concepit filium in senectute, sua, et hic mensis est sextus illi quae uocabatur sterilis, quia non erit inpossibile aput deum omne uerbum. dixit autem Maria: ecce ancilla domini, fiat mihi secundum uerbum tuum. et discessit ab illa angelus. exsurgens autem Maria in diebus illis abiit in montana cum festinatione in ciuitatem Iuda et intrauit in domum Zachariae et salutauit Elisabeth. et factum est, ut audiuit salutationem Mariae Elisabeth,

exultauit infans in utero eius. et repleta est spiritu sancto Elisabeth et exclamauit uoce magna et dixit: benedicta tu inter muli-eres et benedictus fructus uentris tui. et unde hoc mihi, ut ueniat mater domini mei ad me? ecce enim ut facta est uox salutationis tuae in auribus meis, exultauit in gaudio infans in utero meo. et beata quae credidit, quoniam perficientur ea quae dicta sunt ei a domino. et ait Maria: magnificat anima mea dominum, et exultauit spiritus meus in deo salutari meo, quia respexit humilitatem ancillae suae; ecce enim ex hoc beatam me dicunt omnes generationes, quia fecit mihi magna qui potens est. et sanctum nomen eius, et misericordia eius a progenie in progenies timentibus eum. fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui, deposuit potentes de sede et exaltauit humiles, esurientes impleuit bonis et diuites dimisit inanes. suscepit Israhel puerum suum, memorari misericordiae suae, sicut locutus est ad patres nostros, Abraham et semini eius in saecula. mansit autem Maria cum illa quasi mensibus tribus et reuersa est in domum suam et inuenta est in utero habens de spiritu sancto. Ioseph autem uir eius, cum esset iustus et nollet eam traducere, uoluit occulte dimittere eam. haec autem eo cogitante ecce angelus domini in somnis apparuit ei dicens: Ioseph, fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam; quod enim in ea natum est de spiritu sancto est. pariet autem filium, et uocabis nomen eius Iesum; ipse enim saluum faciet populum suum a peccatis eorum. hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est a domino per prophetam dicentem: ecce uirgo in utero habebit et pariet filium, et uocabunt nomen eius Emmanuhel, quod est interpretatum \'nobiscum deus\'. exsurgens autem Ioseph a somno fecit, sicut praecepit ei angelus domini, et accepit coniugem suam et non cognoscebat eam. Elisabeth autem impletum est tempus eius pariendi, et peperit filium. et audierunt uicini et cognati eius, quia magnificauit dominus misericordiam suam cum illa, et congratulabantur ei. et factum est in die octauo, uenerunt circumcidere puerum et uocabant eum nomine patris eius Zachariam. et respondens mater eius dixit: non, sed uocabitur Iohannes. et dixerunt ad illam: quia nemo est in cognatione tua qui uocetur hoc nomine. ininnuebant autem patri -eius quem uellet uocari eum. et postulans pugillarem scripsit dicens: Iohannes est nomen eius. et mirati sunt uniuersi. apertum est autem ilico os eius et lingua eius et loquebatur benedicens deum. et factus est timor super omnes uicinos eorum, et super omnia montana Iudaeae diuulgabantur omnia uerba haec. et posuerunt omnes qui audierant in corde suo dicentes: quid putas puer iste erit? etenim manus domini erat cum illo. et Zacharias pater eius impletus est spiritu sancto et prophetauit dicens: benedictus dominus, deus Israhel, quia uisitauit et fecit redemtionem plebis suae. et erexit cornum salutis nobis, in domo Dauid pueri sui, sicut locutus est per os sanctorum, qui a saeculo sunt, prophetarum eius, salutem ex inimicis nostris et de manu omnium qui oderunt nos, ad faciendam misericordiam cum patribus nostris, et memorari testamenti sancti sui, iusiurandum, quod iurauit ad Abraham patrem nostrum, daturum se nobis, ut sine timore de manibus inimicorum nostrorum liberati seruiamus illi in sanctitate et iustitia coram ipso omnibus diebus nostris. et tu, puer, propheta altissimi uocaberis; praeibis enim ante faciem domini praeparare uias eius ad dandam scientiam salutis plebi eius in remissionem peccatorum eorum per uiscera misericordiae dei nostri, in quibus uisitauit nos oriens ex alto, inluminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent ad dirigendos pedes nostros in uiam pacis. puer autem

crescebat et confortabatur spiritu et erat in desertis usque in diem ostensionis suae ad Israhel. factum est autem in diebus illis, exiit edictum a Caesare Augusto, ut describeretur uniuersus orbis. haec descriptio prima facta est sub praeside Syriae Quirino. et ibant omnes, ut profiterentur singuli in suam ciuitatem. ascendit autem et Ioseph a Galilaea de ciuitate Nazareth in Iudaeam ciuitatem Dauid, quae uocatur Bethleem, eo quod esset de domo et familia Dauid, ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore praegnante. factum est autem, cum essent ibi, impleti sunt dies eius ut pareret, et peperit filium suum primogenitum et pannis eum inuoluit et reclinauit in praesepi, quia non erat eis locus in diuersorio. et pastores erant in regione eadem uigilantes et custodientes uigilias noctis super gregem suum. et ecce angelus domini stetit iuxta illos, et claritas dei circum fulsit illos, et timuerunt timore magno. et dixit illis angelus: nolite timere; ecce enim euangelizo uobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est uobis hodie saluator qui est Christus dominus in ciuitate Dauid. et hoc uobis signum: inuenietis infantem pannis inuolutum et positum in praesepi. et subito facta est cum angelo multitudo militiae caelestis laudantium deum et dicentium: gloria in altissimis deo et in terra pax in hominibus bonae uoluntatis. et factum est, ut discesserunt ab eis angeli in caelum, pastores loquebantur ad inuicem: transeamus usque Bethleem et uideamus hoc uerbum, quod factum est, quod dominus ostendit nobis. et uenerunt festinantes et inuenerunt Mariam et Ioseph et infantem positum in praesepi. uidentes autem cognouerunt de uerbo quod dictum erat illis de puero hoc. et omnes qui audierunt mirati sunt et de his quae dicta erant a pastoribus ad ipsos. Maria autem conseruabat omnia uerba haec -conferens in corde suo. et reuersi sunt pastores glorificantes et laudantes deum in omnibus quae audierant et uiderant, sicut dictum est ad illos. et posteaquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur, uocatum est nomen eius Iesus, quod uocatum est ab angelo, priusquam in utero conciperetur. ecce magi ab oriente uenerunt Hierosolymam dicentes: ubi est qui natus est rex Iudaeorum? uidimus enim stellam eius in oriente et uenimus adorare eum. audiens autem Herodes rex turbatus est et omnis Hierosolyma cum illo. et congregans omnes principes sacerdotum et scribas populi, sciscitabatur ab eis, ubi Christus nasceretur. at illi dixerunt ei: in Bethleem Iudae; sic enim scriptum est per prophetam: et tu Bethleem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda; ex te enim exiet dux, qui reget populum meum Israhel. tunc Herodes clam uocatis magis diligenter inquisiuit ab eis tempus stellae, quae apparuit eis. et mittens illos in Bethleem dixit: ite et interrogate diligenter de puero, et cum inueneritis, renuntiate mihi, ut et ego ueniens adorem eum. qui cum audissent regem, abierunt. et ecce stella, quam uiderant in oriente, antecedebat eos, usque dum ueniens staret supra ubi erat puer. uidentes autem stellam gauisi sunt gaudio magno ualde. et in intrantes domum inuenerunt puerum cum Maria matre eius et procidentes adorauerunt eum et apertis thensauris suis optulerunt ei munera, aurum, thus et murram. et responso accepto in somnis, ne redirent ad Herodem, per aliam uiam regressi sunt in regionem suam. qui cum recessissent, posteaquam impleti sunt dies purgationis eius, secundum legem Moysi tulerunt illum in Hierusalem, ut sisterent eum domino, sicut scriptum est in lege domini: quia omne masculinum adaperiens uuluam sanctum domino uocabitur, et ut darent hostiam secundum quod dictum est in lege domini par turturum aut duos pullos columbarum. et ecce homo

erat in Hierusalem, cui nomen Symeon, et homo iste iustus et timoratus expectans consolationem Israhel, et spiritus sanctus erat in eo. et responsum acceperat ab spiritu sancto non uisurum se mortem, nisi prius uideret Christum domini. et uenit in spiritu in templum. et cum inducerent puerum Iesum parentes eius, ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo, et ipse accepit eum in amplexus suos et benedixit deum et dixit: nunc dimittis seruum tuum, domine, secundum uerbum tuum in pace, quia uiderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum, lumen ad reuelationem gentium et gloriam plebis tuae Israhel. et erat pater eius et mater mirantes super his quae dicebantur de illo. et benedixit illos Symeon et dixit ad Mariam matrem eius: ecce positus est hic in ruinam et resurrectionem multorum in Israhel et in signum, cui contradicetur, et tuam ipsius animam pertransiet gladius, ut reuelentur ex multis cordibus cogitationes. et erat Anna prophetissa filia Fanuhel de tribu Aser. haec processerat in diebus multis et uixerat cum uiro suo annis septem a uirginitate sua, et haec uidua usque ad annos octoginta quattuor, quae non discedebat de templo ieiuniis et orationibus seruiens nocte ac die. et haec ipsa hora superueniens confitebatur domino et loquebatur de illo omnibus qui expectabant redemptionem Hierusalem. et ut perfecerunt omnia secundum legem domini, ecce angelus domini apparuit in somnis Ioseph dicens: surge et accipe puerum et matrem eius et fuge in Aegyptum et esto ibi, usque dum dicam tibi; futurum est enim, ut Herodes quaerat puerum ad perdendum eum. qui consurgens accepit puerum et matrem eius nocte et recessit in Aegyptum. et erat ibi usque ad obitum Herodis, ut adimpleretur quod dictum est a domino per prophetam dicentem: ex Aegypto uocaui filium meum. tunc Herodes uidens quoniam inlusus esset a magis iratus est ualde et mittens occidit omnes pueros qui erant in Bethleem et in omnibus finibus eius a bimatu et infra secundum tempus, quod exquisierat a magis. tunc adimpletum est quod dictum est per Hieremian prophetam dicentem: uox in Rama audita est, ploratus et ululatus multus, Rachel plorans filios suos et noluit consolari quia non sunt. defuncto autem Herode ecce apparuit angelus domini in somnis Ioseph in Aegypto dicens: surge et accipe puerum et matrem eius et uade in terram Israhel; defuncti sunt enim qui quaerebant animam pueri. qui surgens accepit puerum et matrem eius et uenit in terram Israhel. audiens autem, quod Archelaus regnaret in Iudaea pro Herode patre suo, timuit illo ire. et admonitus in somnis secessit in partes Galilaeae. et ueniens habitauit in ciuitate quae dicitur Nazareth, ut adimpleretur quod dictum est per prophetas: quoniam Nazareus uocabitur. puer autem crescebat et confortabatur plenus sapientia, et gratia dei erat in illo. et ibant parentes eius per omnes annos in Hierusalem in die sollemni paschae. et cum factus esset annorum duodecim, ascendentibus illis in Hierosolymam secundum consuetudinem diei festi. consummatisque diebus cum redirent, remansit puer Iesus in Hierusalem et non cognouerunt parentes eius. existimantes autem illum esse in comitatu uenerunt iter diei et requirebant eum inter cognatos et notos. et non inuenientes regressi sunt in Hierusalem requirentes eum. et factum est, post triduum inuenerunt illum in templo sedentem in medio doctorum audientem illos et interrogantem illos. stupebant autem omnes qui eum audiebant super prudentia et\'responsis eius. et uidentes admirati sunt. et dixit mater eius ad illum: fili, quid fecisti nobis sic? ecce pater tuus et ego dolentes quaerebamus te. et ait ad illos: quid est quod me quaerebatis? nesciebatis quia in his quae

patris mei sunt oportet me esse? et ipsi non intellexerunt uerbum, quod locutus est ad illos. et descendit cum eis et uenit Nazareth et erat subditus illis. et mater eius conseruabat omnia uerba haec in corde suo. et Iesus proficiebat sapientia, aetate et gratia apud deum et homines.

Iam hinc de praedicatione Iohannis narrari incipit, quam omnes quattuor commemorant. nam et Mattheus post illa uerba, quae ultima eius posui, ubi commemorauit ex propheta testimonium: quoniam Nazoreus uocabitur, sequitur et adiungit: in diebus autem illis uenit Iohannes baptista praedicans in deserto Iudaeae, et cetera. et Marcus, qui nihil de natiuitate uel infantia uel pueritia domini narrauit, hinc euangelii sumsit initium, id est a Iohannis praedicatione. sic enim exorsus est: initium euangelii Iesu Christi filii dei, sicut scriptum est in Esaia propheta: ecce mitto angelum meum ante faciem tuam, qui praeparabit uiam tuam. uox clamantis in deserto: parate uiam domini, rectas facite semitas eius. fuit Iohannes in deserto baptizans et praedicans baptismum paenitentiae in remissionem peccatorum, et cetera. et Lucas post uerba, ubi ait: et Iesus proficiebat sapientia, aetate et gratia apud deum et homines, de Iohannis praedicatione iam sequitur dicens: anno autem quinto decimo imperii Tiberii Caesaris procurante Pontio Pilato Iudaeam, tetrarcha autem Galilaeae Herode, Philippo autem fratre eius tetrarcha Itureae et Traconitidis regionis et Lysania Abillianae tetrarcha, sub principibus sacerdotum Anna et Caifa factum est uerbum domini super Iohannem filium Zachariae in deserto, et cetera. Iohannes quoque apostolus in euangelistis quattuor eminentissimus, posteaquam dixit de uerbo dei, qui est ipse filius ante omnia saecula creaturae, quia omnia per ipsum facta sunt, intulit continuo de Iohannis praedicatione ac testimonio dicens: fuit homo missus a deo, cui nomen erat Iohannes. unde iam uidendum est de ipso Iohanne quattuor euangelistarum narrationes quemadmodum non inter se discordent, non ut hoc a nobis per omnia requiratur aut exigatur quod modo fecimus de primordiis nati ex Maria Christi, quemadmodum inter se Mattheus Lucasque consentiant, ut ex utriusque narratione unam faceremus, demonstrantes tardioribus quemlibet eorum commemorando quod alter tacet uel tacendo quod alter commemorat non inpedire intellectum ueracis narrationis alterius, ut hoc exemplo, siue ut a me factum est siue alio modo commodius fieri possit, uideat unusquisque et in ceteris talibus locis fieri posse quod hic factum esse perspexerit.

Iam ergo, ut dixi, uideamus quattuor euangelistarum de baptista Iohanne consensum. Mattheus ita sequitur: in diebus autem illis uenit Iohannes baptista praedicans in deserto Iudaeae. Marcus non dixit (in illis diebus\'. quia nullam seriem rerum ante praemiserat, in quarum rerum diebus intellegeretur dicere, si diceret (in illis diebus\'. Lucas autem per potestates terrenas significantius ipsa tempora expressit praedicationis uel baptismi Iohannis dicens: anno autem quinto decimo imperii Tiberii Caesaris, procurante Pontio Pilato ludaeam, tetrarcha autem Galilaeae Herode, Philippo autem fratre eius tetrarcha Itureae et Traconitidis regionis et Lysania Abillianae tetrarcha, sub principibus sacerdotum Anna et Caifa, factum est uerbum domini super Iohannem Zachariae filium in deserto. nec tamen intellegere debemus hos dies, id est hoc tempus harum potestatum, significasse Mattheum, cum diceret in illis diebus, sed in multo longioris temporis spatio uoluisse accipi

quod ait in illis diebus. mox enim ut narrauit regressum de Aegypto Christum mortuo Herode, quod utique tempore infantiae uel pueritiae eius factum est, ut possit constare quod Lucas de illo, cum duodecim annorum esset, gestum narrauit in templo Hierusalem, cum ergo infantem uel puerum ex Aegypto reuocatum commemorasset, Mattheus continuo intulit: in diebus autem illis uenit Iohannes baptista, non utique tantummodo pueritiae illius dies insinuans, sed omnes dies ab eius natiuitate usque ad tempus, quo praedicare et baptizare coepit Iohannes, quo iam tempore Christi aetas iuuenilis inuenitur, quia coaeui erant ipse et Iohannes et triginta ferme annorum narratur fuisse, cum ab illo baptizatus esset.

Sed plane de Herode solet mouere nonnullos, quod Lucas narrauit in diebus baptismi Iohannis Herodem fuisse tetrarchen Galilaeae, quando etiam dominus iuuenis baptizatus est, Mattheus autem mortuo Herode dicit puerum legum ab Aegypto remeasse, quod utrumque uerum esse non potest, nisi duo fuisse intellegantur Herodes. quod cum fieri potuisse nemo nesciat, qua caecitate insaniant, qui procliuiores sunt ad calumniandum euangelicae ueritati quam paululum consideratiores, ut duos homines eodem uocabulo appellatos intellegant! cuius rei exemplis plena sunt omnia. nam iste posterior Herodes prioris Herodis filius fuisse perhibetur, sicut Archelaus, quem Mattheus in Iudaeae regnum patri mortuo successisse commemorat, sicut Philippus, quem fratrem tetrarchae Herodis et ipsum Itureae tetrarcham Lucas insinuat. rex enim fuit Herodes ille, qui quaerebat animam pueri Christi, Herodes autem alius , filius eius non rex, sed tetrarcha dictus est, quod nomen Graecum a parte regni quarta inditum resonat.

VIII. Nisi forte hinc rursus quispiam moueatur: cum Mattheus dixerit ideo timuisse Ioseph cum puero redientem ire in Iudaeam, quia pro patre suo Herode Archelaus filius eius ibi regnabat, quomodo potuit ire in Galilaeam, ubi alius filius eius Herodes tetrarches erat. sicut Lucas testatur? quasi uero ipsa sint tempora, quibus tunc puero timebatur, quae nunc Lucas commemorauit, quae usque adeo mutata erant, ut in ipsa Iudaea non iam rex esset Archelaus. sed Pontius Pilatus non rex Iudaeorum, sed praeses erat, cuius temporibus agentes sub Tiberio Caesare filii maioris Herodis non regnum habebant, sed tetrarchiam. quod utique nondum factum erat, quando Ioseph timens Archelaum in Iudaea regnantem se in Galilaeam cum puero contulit, ubi et ciuitas eius erat Nazareth.

VIIII. An forte et hoc mouet, quomodo dicat Mattheus propterea cum puero Iesu parentes eius isse in Galilaeam, quia metu Archelai ire in Iudaeam noluerunt, cum propterea magis isse in Galilaeam uideantur, quia ciuitas eorum erat Nazareth Galilaeae, sicut Lucas non tacuit. sed intellegendum est, ubi angelus in somnis in Aegypto dixit ad Ioseph: surge et accipe puerum et matrem eius et uade in terram Israhel, sic intellectum esse primo a Ioseph, ut putaret iussum se esse pergere in Iudaeam — ipsa enim primitus intellegi potuit terra Israhel — porro autem posteaquam conperit illic regnare filium Herodis Archelaum, noluit obicere se illi periculo, cum posset terra Israhel etiam sic intellegi, ut et Galilaea illic deputaretur, quia et ipsam populus Israhel incolebat. quamquam et alio modo solui possit haec quaestio. quia potuit uideri parentibus Christi cum puero, de quo talia per angelica

responsa cognouerant, non esse habitandum nisi in Hierusalem, ubi erat templum domini, et propterea redeuntes ex Aegypto illuc eos ituros fuisse et illic habitaturos, nisi Archelai praesentia terrerentur. neque enim diuinitus iubebantur ibi habitare, ut de Archelao quod timebant deberent contemnere.

An et hoc aliquis dicit: quomodo ergo, sicut Lucas narrat, ibant parentes eius per omnes annos pueritiae Christi in Hierusalem, si Archelai timore illuc prohibebantur accedere? hoc mihi dissoluere non esset difficile, nec si aliquis euangelistarum expressisset, quamdiu ibi regnaret Archelaus. fieri enim poterat, ut per diem festum inter tam ingentem turbam latenter ascenderent mox reuersuri, ubi tamen aliis diebus habitare metuerent, ut nec sollemnitate praetermissa essent inreligiosi nec continua mansione conspicui. cum uero etiam de regno Archelai, quam fuerit diuturnum, omnes tacuerint, iste quoque intellectus patet, ut quod Lucas dicit per omnes annos eos ascendere solitos in Hierusalem tunc accipiamus factitatum, cum iam non timeretur Archelaus. quod si Archelai regnum aliquanto diuturnius ulla praeter euangelium prodit historia, cui fides habenda uideatur, illud quod superius dixi suffecerit, quod ita timebant parentes pueri habitationem in Hierusalem, ut tamen propter dei timorem festiuitatem sollemnem non praetermitterent, in qua latere facillime possent. neque enim incredibile est captatis temporibus oportunis uel dierum uel horarum accedere homines ad ea loca, in quibus esse formidant.

XI. Hinc etiam illa soluitur quaestio, si aliquem monet, cum iam sollicitus esset ille maior Herodes perculsus magorum nuntio, quod rex Iudaeorum natus fuisset, quomodo potuerint conpletis diebus purgationis matris eius tuto cum illo ascendere in templum, ut fierent circa eum secundum legem domini quae Lucas commemorat. quis enim non uideat etiam illum unum diem regem multis occupatum latere potuisse? si autem illud ueri simile non uidetur, quod Herodes, qui ualde sollicitus expectabat, quid sibi magi de puero renuntiarent, post tam multos dies se sensit inlusum, ut transacto tempore purgationis matris eius et peracta circa infantem sollemnitate primogenitorum in templo Hierusalem, post etiam profectionem eorum in Aegyptum in mentem illi uenerit quaerere animam pueri et necare tot paruulos, si hoc ergo mouet, omitto dicere, quot et quantis occupationibus regia cura distendi potuerit et per plurimos dies ab illa intentione uel auerti omnino uel inpediri. neque enim enumerari possunt causae, quibus hoc potuerit accidere, quas tamen multas et magnas esse potuisse nemo ita rerum humanarum inexpertus est, ut aut neget aut dubitet. cuius enim cogitationi non occurrat, quam multa alia terribiliora regi nuntiari potuerint seu uera seu falsa, ut qui regem infantem post aliquot annos sibi uel filiis suis aduersaturum timuerat aliquorum magis propinquantium periculorum terroribus agitatus ab illa cura mentem abreptam in aliis proxime cauendis potius occuparet? ut ergo haec omittam, illud dico, posteaquam nihil Herodi magi renuntiauerunt, eum credere potuisse illos fallacis stellae uisione deceptos, posteaquam non inuenerunt quem natum putauerant, erubuisse ad se redire adque ita eum timore depulso ab inquirendo ac persequendo puero quieuisse. cum ergo post purgationem matris eius in Hierusalem cum illo uenissent et ea gesta essent in templo quae a Luca narrantur, quia uerba Symeonis et Annae de illo prophetantium, cum coepissent ab eis qui audierant praedicari, ad pristinam intentionem reuocatura erant

animum regis, admonitus per somnium Ioseph cum infante et matre eius fugit in Aegyptum. deinde diuulgatis rebus, quae in templo factae dictaeque fuerant, Herodes se a magis sensit inlusum ac deinde ad Christi mortem cupiens peruenire multos infantes, sicut Mattheus narrat, occidit.

XII. Mattheus ergo de Iohanne ita contexit: in diebus autem illis uenit Iohannes baptista praedicans in deserto Iudaeae et dicens: paenitentiam agite, adpropinquauit enim regnum caelorum. hic est enim qui dictus est per Esaiam prophetam dicentem: uox clamantis in deserto: parate uiam domini, rectas facite semitas eius. Marcus quoque et Lucas consentiunt hoc Esaiae testimonium esse de Iohanne. nam plura uerba etiam consequentia ex eodem propheta Lucas comrnemorauit, cum de baptista Iohanne narraret. Iohannes autem euangelista ipsum Iohannem baptistam de se ipso idem testimonium Esaiae protulisse commemorat, sicut nunc Mattheus dixit quaedam Iohannis uerba, quae alii non dixerunt. praedicans, inquit, in deserto Iudaeae et dicens: paenitentiam agite, adpropinquauit enim regnum caelorum. haec uerba Iohannis alii praetermiserunt. iam uero quod sequitur Mattheus et adiungit: hic est enim qui dictus est per Esaiam prophetam dicentem: uox clamantis in deserto: parate uiam domini, rectas facite semitas eius, ambigue positum est, nec elucet, utrum ex persona sua idem Mattheus hoc commemorauerit, an adhuc uerba eiusdem Iohannis secutus adiunxerit, ut totum hoc Iohannes dixisse intellegatur: paenitentiam agite, adpropinquauit enim regnum caelorum. hic est enim qui dictus est per Esaiam prophetam, et cetera. neque enim hoc mouere debet, quia non ait (ego sum enim qui dictus sum per Esaiam prophetam\', sed ait hic est enim qui dictus est. solet quippe esse talis locutio et ipsorum euangelistarum Matthei et Iohannis. nam et Mattheus dixit: inuenit hominem sedentem in teloneo, nec dixit \'inuenit me\', et Iohannes: hic est, inquit, discipulus, qui testimonium perhibet de his et scripsit haec et scimus quia uerum est testimonium eius, non dixit \'ego sum\' aut \'uerum est testimonium meum\'. dominus autem ipse saepissime dicit filius hominis aut filius dei, et non dicit \'ego\', et: oportebat, inquit, Christum pati et resurgere tertio die, non ait \'oportebat me pati\'. potuit ergo et Iohannes baptista, cum dixisset: agite paenitentiam, adpropinquauit enim regnum caelorum, de se ipso adiungere quae sequuntur hic est enim qui dictus est per Esaiam prophetam, et cetera, ut post uerba eius Mattheus ita narrationem contexat: ipse autem Iohannes habebat uestimentum de pilis camelorum, et cetera. quod si ita est, non mirum si et interrogatus, quid diceret de se ipso, sicut narrat Iohannes euangelista: ego, ait, uox clamantis in deserto, sicut iam dixerat praecipiens, ut agerent paenitentiam. de uestitu uero eius et uictu ita Mattheus sequitur dicens: ipse autem Iohannes habebat uestimentum de pilis camelorum et zonam pelliciam circa lumbos suos. esca autem eius erat lucustae et mel siluestre. hoc et Marcus dicit paene totidem uerbis, ceteri autem duo tacent.

Sequitur ergo Mattheus et dicit: tunc exibat ad eum Hierosolyma et omnis Iudaea et omnis regio circa Iordanen et baptizabantur in Iordane ab eo confitentes peccata sua. uidens autem multos Pharisaeorum et Sadducaeorum uenientes ad baptismum suum dixit eis: progenies uiperarum, quis demonstrauit uobis fugere ab ira futura? facite ergo fructum dignum paenitentiae et ne uelitis dicere intra uos: patrem habemus Abraham; dico enim

uobis, quia potest deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahae. iam enim securis ad radicem arborum posita est; omnis ergo arbor, quae non facit fructum bonum, exciditur et in ignem mittitur. ego quidem uos baptizo in aqua in paenitentiam; qui autem post me uenturus est fortior me est, cuius non sum dignus calciamenta portare; ipse uos baptizabit in spiritu sancto et igni, cuius uentilabrum in manu sua et permundabit aream suam et congregabit triticum suum in horreum, paleas autem conburet igni inextinguibili. haec omnia dicit et Lucas eadem paene uerba Iohannis expromens. et ubi aliquid uarium est in uerbis, ab eadem tamen sententia non receditur, uelut cum dicit Mattheus Iohannem dixisse et ne uelitis dicere intra uos: patrem habemus Abraham, ille autem et ne coeperitis dicere: patrem habemus Abraham, iste ego quidem uos baptizo in aqua in paenitentiam, ille interponit interrogationem turbarum, quid facerent, et eis respondentem Iohannem de bonis operibus tamquam de fructibus paenitentiae, quod Mattheus omisit, deinde in cordibus suis cogitantibus de illo, utrum ipse esset Christus, eum dicit respondisse ego quidem aqua baptizo uos, non dixit (in paenitentiam\'. deinde Mattheus: qui autem, inquit, post me uenturus est fortior me est, ille uero: uenit autem, inquit, fortior me. item Mattheus: cuius non sum, inquit, dignus calciamenta portare, ille autem: cuius non sum dignus soluere corrigiam calciamentorum eius. quod et Marcus dicit, cum cetera taceat. nam post commemoratum habitum et uictum eius secutus ait: et praedicabat dicens: uenit fortior me post me, cuius non sum dignus procumbens soluere corrigiam calciamentorum eius. ego baptizaui uos aqua, ille uero baptizabit uos spiritu sancto. de calciamentis ergo hoc a Luca distat, quod addidit procumbens, de baptismo autem hoc ab utroque, quia non dixit et igni, sed tantum spiritu sancto. sicut enim Mattheus, ita et Lucas dixit et eodem ordine: ipse uos baptizabit in spiritu et igni, nisi quod Lucas non addidit sancto, sicut Mattheus dixit in spiritu sancto et igni. his tribus adtestatur Iohannes euangelista, cum dicit: Iohannes testimonium perhibet de ipso et clamat dicens: hic erat quem dixi: qui post me uenit ante me factus est, quia prior me erat. sic enim ostendit tunc eum hoc dixisse, quando eum illi dixisse commemorant, repetisse autem et commemorasse quod iam dixisset, cum ait: hic erat quem dixi: qui post me uenit.

Si ergo quaeritur, quae uerba potius Iohannes baptista dixerit, utrum quae Mattheus an quae Lucas eum dixisse commemorat an quae Marcus in ipsis paucis quae illum dixisse posuit tacens cetera, nullo modo hinc laborandum esse iudicat qui prudenter intellegit ipsas sententias esse necessarias cognoscendae ueritati, quibuslibet uerbis fuerint explicatae. quod enim alius alium uerborum ordinem tenet, non est utique contrarium. neque illud contrarium est, si alius dicit quod alius praetermittit. ut enim quisque meminerat et ut cuique cordi erat uel breuius uel prolixius eandem tamen explicare sententiam, ita eos explicasse manifestum est.

Et in hoc satis apparet, quod ad rem maxime pertinet, quoniam ueritas euangelii uerbo dei, quod supra omnem creaturam aeternum adque incommutabile permanet, per creaturam temporalibus signis et linguis hominum dispensato summum culmen auctoritatis optinuit, non nos debere arbitrari mentiri quemquam, si pluribus rem, quam audierunt uel uiderunt, reminiscentibus non eodem modo adque eisdem uerbis eadem tamen res fuerit indicata, aut

siue mutetur ordo uerborum, siue alia pro aliis quae tamen idem ualeant uerba proferantur, siue aliquid uel quod recordanti non occurrerit uel quod ex aliis quae dicuntur possit intellegi minus dicatur, siue aliorum quae magis dicere statuit narrandorum gratia, ut congruus temporis modus sufficiat, aliquid sibi non totum explicandum, sed ex parte tangendum quisque suscipiat, siue ad inluminandam declarandamque sententiam nihil quidem rerum, uerborum tamen aliquid addat, cui auctoritas narrandi concessa est, siue rem bene tenens non adsequatur, quamuis id conetur, memoriter etiam uerba, quae audiuit, ad integrum enuntiare. quisquis autem dicit euangelistis certe per spiritus sancti potentiam id debuisse concedi, ut nec in genere uerborum nec in ordine nec in numero discreparent, non intellegit, quanto amplius euangelistarum excellit auctoritas, tanto magis per eos fuisse firmandam ceterorum hominum uera loquentium securitatem, ut pluribus eandem rem forte narrantibus nullo modo quisquam eorum de mendacio recte arguatur, si ab altero ita discrepauerit, ut possit etiam euangelistarum exemplo praecedente defendi. cum enim fas non sit euangelistarum aliquem mentitum fuisse uel existimare uel dicere, sic apparebit nec eum fuisse mentitum, cui recordanti tale aliquid acciderit, quale illis accidisse monstratur. et quanto magis ad mores optimos pertinet cauere mendacium, tanto magis tam eminenti auctoritate regi debebamus, ne putaremus esse mendacia, cum sic inter se uariari aliquorum narrationes inueniremus, ut inter euangelistas uariatae sunt, simul etiam, quod ad doctrinam fidelem maxime pertinet, intellegeremus non tam uerborum quam rerum quaerendam uel amplectendam esse ueritatem, quando eos qui non eadem locutione utuntur, cum rebus sententiisque non discrepant, in eadem ueritate constitisse adprobamus.

Quid ergo in his quae de narrationibus euangelistarum conlata proposui putandum est esse contrarium? an quod alius dixit cuius non sum dignus calciamenta portare, alii uero corrigiam calciamenti soluere? non enim uerbis aut uerborum ordine aut aliquo genere locutionis, sed etiam re ipsa uidetur aliud esse calciamenta portare, aliud corrigiam calciamenti soluere. merito ergo quaeri potest, quid Iohannes dixerit non se dignum esse, utrum calciamenta portare an corrigiam calciamenti soluere. si enim alterum horum dixit, ille uerum uidetur narrasse qui hoc potuit narrare quod dixit, qui autem aliud, etsi non est mentitus, certe uel oblitus aliud pro alio dixisse putabitur. omnem autem falsitatem abesse ab euangelistis decet, non solum eam quae mentiendo promitur, sed etiam eam quae obliuiscendo. itaque si ad rem pertinet aliquid aliud intellegere ex eo quod dictum est calciamenta portare et aliquid aliud ex eo quod dictum est corrigiam calciamenti soluere, quid aliud accipiendum recte existimaueris nisi Iohannem utrumque dixisse, siue aliud alio tempore siue contextim? potuit enim sic dicere cuius non sum dignus corrigiam calciamenti soluere nec calciamenta portare\', ut unus euangelistarum hinc aliud, alii uero aliud, omnes tamen uerum narrauerint. si autem nihil intendit Iohannes, cum de calciamentis domini diceret, nisi excellentiam eius et humilitatem suam, quodlibet horum dixerit, siue de soluenda corrigia calciamentorum siue de portandis calciamentis, eandem tamen sententiam tenuit, quisquis etiam uerbis suis per calciamentorum commemorationem eandem significationem humilitatis expressit, unde ab eadem uoluntate non aberrauit. utilis igitur modus et memo-

riae maxime commendandus, cum de conuenientia dicimus euangelistarum, non esse mendacium, cum quisque etiam dicens aliquid aliud quod etiam ille non dixit, de quo aliquid narrat, uoluntatem tamen eius hanc explicat, quam etiam ille qui eius uerba commemorat. ita enim salubriter discimus nihil aliud esse quaerendum quam quid uelit qui loquitur.

XIII. Sequitur ergo Mattheus et dicit: tunc uenitlesus a Galilaea in Iordanen ad Iohannem, ut baptizaretur ab eo. Iohannes autem prohibebat eum dicens: ego a te debeo baptizari et tu uenis ad me? respondens autem Iesus dixit ei: sine modo, sic enim decet nos implere omnem iustitiam. tunc dimisit eum. adtestantur et ceteri uenisse Iesum ad Iohannem. baptizatum autem tres commemorant, sed tacent quod Mattheus ait dixisse domino Iohannem uel Iohanni dominum respondisse.

Deinde sequitur Mattheus: baptizatus autem confestim ascendit de aqua. et ecce aperti sunt ei caeli et uidit spiritum dei descendentem sicut columbam uenientem super se. et ecc.e uox de caelis dicens: hic est filius meus dilectus, in quo mihi conplacui. hoc et alii duo, Marcus et Lucas, similiter narrant; sed de uerbis uocis, quae de caelo facta est, uariant locutionem salua tamen sententia. quod enim Mattheus ait dictum hic est filius meus dilectus et alii duo dicunt tu es filius meus dilectus, ad eandem sententiam explicandam ualet, sicut superius tractatum est. uox enim caelestis unum horum dixit, sed euangelista ostendere uoluit ad id ualere quod dictum est hic est filius meus, ut illis potius qui audiebant indicaretur, quod ipse esset filius dei, adque ita dictum referre uoluit tu es filius meus, ac si illis diceretur hic est filius meus. non enim Christo indicabatur quod sciebat, sed audiebant qui aderant, propter quos etiam ipsa uox facta est. iam uero quod alius dicit in quo mihi conplacui, alius in te conplacui, alius in te conplacuit mihi, si quaeris, quid horum in illa uoce sonuerit, quod libet accipiendum, modo intellegas eos qui non eandem locutionem rettulerunt eandem rettulisse sententiam. quae diuersitas locutionum ad hoc etiam utilis est, ne uno modo dictum minus intellegatur et aliter, quam se res habet, interpretetur. quod enim dictum est in quo mihi conplacui, si uelit quis ita intellegere, ut deus in filio sibi conplacuisse uideatur, admonetur ex eo quod dictum est in te conplacui. si rursus ex hoc uno intellegat quisque in filio patrem placuisse hominibus, admonetur ex eo quod dictum est in te conplacuit mihi. ex quo satis apparet, quilibet euangelistarum caelestis uocis etiam uerba tenuerit, alios ad eandem sententiam familiarius explicandam uerba uariasse, ut intellegatur hoc dictum esse ab omnibus, tamquam diceretur (in te placitum meum constitui\', hoc est (per te gerere quod mihi placet\'. illud uero quod nonnulli codices habent secundum Lucam hoc illa uoce sonuisse quod in psalmo scriptum est: filius meus es tu, ego hodie genui te, quamquam in antiquioribus codicibus Graecis non inueniri perhibeatur, tamen si aliquibus fide dignis exemplaribus confirmari possit, quid aliud quam utrumque intellegendum est quolibet uerborum ordine de caelo sonuisse?

Quod autem secundum Iohannem de columba dicitur non quando factum est narratur, sed uerba Iohannis baptistae referuntur commemorantis, quid uiderit. in quo quaeritur, quemadmodum dictum sit: et ego non noueram eum, sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: super quem uideris spiritum descendentem et manentem super eum, hic est qui

baptizat in spiritu sancto. si enim tunc eum cognouit, cum columbam uidit descendentem super eum, quaerendum est, quomodo dixerit uenienti, ut baptizaretur: ego magis abs te debeo baptizari; hoc enim ei dixit, antequam columba descenderet.. ex quo apparet, quamuis eum iam nosset — nam etiam in utero matris exultauit, cum ad Elisabeth Maria uenisset —, aliquid tamen in eo, quod nondum nouerat, columbae descensione didicisse, quod ipse scilicet baptizaret in spiritu sancto propria quadam et diuina potestate, ut nullus homo, qui accepisset a deo baptismum, etiamsi aliquem baptizaret, posset dicere suum esse quod traderet uel a se dari spiritum sanctum.

Sequitur Mattheus et dicit: tunc Iesus ductus est in desertum ab spiritu, ut temtaretur a diabolo. et cum ieiunasset quadraginta diebus et quadraginta noctibus, postea esuriuit. et accedens temtator dixit ei: si filius dei es, dic, ut lapides isti panes fiant. qui respondens dixit: scriptum est: non in pane solo uiuit homo, sed in omni uerbo, quod procedit de ore dei, et cetera usque ad id quod dictum est: tunc relinquit eum diabolus et ecce angeli accesserunt et ministrabant ei. totum hoc similiter Lucas narrat, etsi non eodem ordine. unde incertum est, quid prius factum sit, utrum regna terrae prius demonstrata sint ei et postea in pinnam templi leuatus sit, an hoc prius et illud postea. nihil tamen ad rem, dum omnia facta fuisse manifestum sit; et quod aliis uerbis easdem sententias Lucas explicat, non semper commendandum est, quam nihil depereat ueritati? Marcus autem adtestatur quidem eum in deserto a diabolo esse temtatum quadraginta diebus et noctibus; sed tacet, quid ei dictum sit quidue responderit. item quod Lucas praetermisit, iste non tacuit, quod angeli ministrabant illi. Iohannes uero totum istum locum praetermisit.

XVII. Sequitur narrans Mattheus: cum autem audisset quod Iohannes traditus esset, secessit in Galilaeam. hoc et Marcus dicit, hoc et Lucas; sed Lucas de Iohanne tradito nihil hoc loco dicit. Iohannes autem euangelista, priusquam iret Iesus in Galilaeam, dicit Petrum et Andream mansisse cum illo uno die et tunc Petro nomen inpositum, cum antea Simon uocaretur. sequenti item die iam uolentem exire in Galilaeam inuenisse Philippum et ei dixisse. ut sequeretur eum. inde uentum est, ut etiam de Nathanahele narraret. die autem tertio in Galilaea constitutum fecisse illud in Cana de aquae in uinum conuersione miraculum. quae omnia ceteri euangelistae praetermiserunt id contexentes narrationibus suis, quod Iesus reuersus sit in Galilaeam. unde intellegitur fuisse interpositos aliquot dies, quibus illa de discipulis gesta sunt, quae interponuntur a Iohanne. non est autem contrarium ei loco, ubi Mattheu narrat dominum dixisse Petro: tu es Petrus et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam. neque enim hoc nomen tunc accepisse intellegendus est, sed tunc potius, quando ei Iohannes dictum esse commemorat: tu uocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus, ut eum hoc nomine appellaret postea dominus dicens tu es Petrus. non enim ait \'tu uocaberis Petrus), sed tu es Petrus, quod ei iam dictum erat antea tu uocaberis.

Deinde contexit narrationem Mattheus et dicit: et relicta ciuitate Nazareth uenit et habitauit in Capharnaum maritimam in finibus Zabulon et Neptalin, et cetera, quo usque sermo terminetur, quem habuit in monte. in quo contextu narrationis adtestatur ei Marcus de discipulorum uocatione Petri et Andreae et paulo post Iacobi et Iohannis. sed cum

Mattheus continuo coniungeret narrationem prolixi illius sermonis, quem in monte habuit, posteaquam multos curauit et eum multae turbae secutae sunt, Marcus interposuit alia, quia docebat eos in synagoga et stupebant super doctrinam eius. tunc ipse dixit quod et Mattheus post illum prolixum sermonem, quia erat docens eos quasi potestatem habens et non sicut scribae. narrauit etiam de homine, a quo expulsus est spiritus inmundus, deinde de socru Petri — in his autem Lucas ei consentit —, Mattheus uero de isto demonio nihil narrauit; de socru autem Petri non tacuit, sed postea.

In hoc autem loco, quem nunc consideramus, idem Mattheus post uocationem discipulorum, quibus piscantibus iussit, ut eum sequerentur, narrat eum circumisse Galilaeam docentem in synagogis et praedicantem euangelium et sanantem omnem languorem et collectis ad illum turbis ascendisse in montem et usum fuisse illo sermone prolixo. dat ergo locum intellegendi tunc facta esse quae Marcus post electionem eorundem discipulorum narrat, cum circumiret Galilaeam et doceret in synagogis eorum, tunc etiam de socru Petri, sed eum postea commemorasse quod praetermiserat, quamuis non omnia praetermissa in narrationem reuocauerit.

Sane potest monere, quomodo Iohannes dicat non in Galilaea, sed iuxta Iordanen primo Andream secutum fuisse dominum cum alio, cuius nomen tacetur, deinde Petrum ab illo nomen accepisse, tertio Philippum uocatum, ut eum sequeretur. ceteri autem tres euangelistae de piscatione uocatos eos dicunt satis inter se conuenienter, maxime Mattheus et Marcus. nam Lucas Andream non nominat, qui tamen intellegitur in ea naui fuisse secundum Matthei et Marci narrationem, qui breuiter hoc perstringunt, quemadmodum gestum sit, quod Lucas apertius explicauit commemorans ibi etiam miraculum super captura piscium et quod ex ipsa naui dominus prius fuerit locutus ad turbas. hoc etiam uidetur distare quod tantum Petro a domino dictum commemorat ex hoc iam homines eris capiens, quod illi ambobus fratribus dictum esse narrarunt. sed potuit utique prius hoc Petro dici, cum de capta ingenti multitudine piscium miraretur, quod Lucas insinuauit, et ambobus postea, quod illi duo commemorauerunt. illud ergo quod de Iohanne diximus diligenter considerandum est; non enim parua repugnantia putari potest, cum et locorum plurimum intersit et temporis et ipsius uocationis. nam si iuxta Iordanen, antequam Iesus isset in Galilaeam, ad testimonium Iohannis baptistae secuti sunt eum duo, quorum erat unus Andreas, qui fratrem suum Simonem continuo ad- . duxit ad legum, quando et nomen ut Petrus uocaretur accepit, quomodo ab aliis euangelistis dicitur, quod eos in Galilaea piscantes inuenerit adque ad discipulatum uocauerit, nisi quia intellegendum est non sic eos uidisse tunc dominum iuxta Iordanen, ut ei iam inseparabiliter cohaererent, sed tantum cognouisse quis esset eumque miratos ad propria remeasse?

Nam et in Cana Galilaeae cum fecisset de aqua uinum, dicit idem Iohannes, quod crediderint in eum discipuli eius. quod ita narrat: et die tertio nuptiae factae sunt in Cana Galilaeae et erat mater Iesu ibi. uocatus est autem et Iesus et discipuli eius ad nuptias. qui utique si tunc in eum crediderunt, sicut paulo post dicit, nondum erant discipuli, cum ad nuptias uocati sunt. sed illo more locutionis hoc dictum est, quo loquimur, cum dicimus

apostolum Paulum in Tarso Ciliciae natum, neque enim tunc iam erat apostolus. ita discipulos Christi inuitatos ad nuptias cum audimus, non iam discipulos, sed qui futuri erant discipuli intellegere debemus. iam enim utique discipuli Christi erant, quando ista narrata adque conscripta sunt, et ideo sic de illis locutus est temporum praeteritorum narrator.

Quod autem dicit idem Iohannes: post hoc descendit Capharnaum ipse et mater eius et fratres eius et discipuli eius et ibi manserunt non multis diebus, incertum est, utrum iam illi adhaeserant etiam Petrus et Andreas et filii Zebedaei. Mattheus enim primo narrat, quod uenerit et habitauerit in Capharnaum, et postea, quod eos de nauibus piscantes uocauerit, iste autem, quod cum illo Capharnaum uenerint discipuli eius. an forte Mattheus quod praetermiserat recapitulauit, quia non ait ipse (post hoc ambulans iuxta mare Galilaeae uidit duos fratres\', sed sine ulla consequentis temporis differentia: ambulans autem, inquit, iuxta mare Galilaeae uidit duos fratres, et cetera? proinde fieri potest, ut postea narrauerit non quod postea factum erat, sed quod prius praetermiserat, ut cum illo intellegantur uenisse Capharnaum, quo Iohannes dicit et ipsum et matrem et discipulos eius uenisse. an potius alii discipuli fuerunt, sicut eum iam Philippus sequebatur, quem sic uocauerat, ut diceret ei: sequere me? quo enim ordine uocati. sint omnes duodecim apostoli, in euangelistarum narrationibus non apparet, quando quidem non tantum ordo uocationis, sed nec ipsa uocatio commemorata est omnium, sed tantum Philippi et Petri et Andreae et filiorum Zebedaei et Matthei publicani, qui etiam Leui uocabatur. singillatim tamen ab eo nomen et primus et solus Petrus accepit. nam filios Zebedaei non singillatim, sed simul ambos appellauit filios tonitrui.

Sane animaduertendum est, quod scriptura euangelica et apostolica non solos illos duodecim appellat discipulos eius, sed omnes qui in eum credentes magisterio eius ad regnum caelorum erudiebantur. ex quorum multitudine elegit duodecim, quos et apostolos nominauit, sicut Lucas commemorat. ipse quippe paulo post ait: et descendens cum illis stetit in loco campestri et turba discipulorum eius et multitudo copiosa plebis. non utique diceret turbam discipulorum homines duodecim. aliis quoque scripturarum locis hoc euidenter apparet discipulos eius omnes appellatos qui ab eo discerent quod ad aeternam uitam pertineret.

Quaeri autem potest, quomodo binos uocauerit de nauiculis piscatores, primo Petrum et Andream, deinde progressus paululum alios duos filios Zebedaei, sicut narrat Mattheus et Marcus, cum Lucas dicat ambas eorum nauiculas impletas magna illa captura piscium sociosque Petri commemoret Iacobum et Iohannem filios Zebedaei uocatos ad adiuuandum, cura retia extrahere plena non possent, simulque miratos tantam multitudinem piscium, quae capta erat, et cum Petro tantum dixisset: noli timere, ex hoc iam homines eris capiens, simul eum tamen subductis ad terram nauibus secutos fuisse. unde intellegendum est hoc primo esse factum quod Lucas insinuat, nec tunc eos a domino uocatos, sed tantum Petro fuisse praedictum, quod homines esset capturus. quod non ita dictum est, quasi iam pisces numquam esset capturus; nam et post resurrectionem domini legimus eos esse piscatos. dictum est ergo, quod deinceps capturus esset homines; non dictum est, quod iam non esset

capturus pisces. unde datur locus intellegere eos ad capturam piscium ex more remeasse, ut postea fieret quod Mattheus et Marcus narrant, quando eos binos uocauit et ipse iussit. ut eum sequerentur, primo duobus Petro et Andreae, deinde aliis duobus filiis Zebedaei. tunc enim non subductis ad terram nauibus tamquam cura redeundi, sed ita eum secuti sunt, tamquam uocantem ac iubentem, ut sequerentur..

Illud etiam requirendum est, quomodo Iohannes euangelista, antequam Iohannes baptista missus esset in carcerem, dicit legum isse in Galilaeam - posteaquam enim commemorauit, quod in Cana Galilaeae fecit de aqua uinum et descendit Capharnaum cum matre et discipulis et ibi manserunt non multis diebus, dicit eum deinde ascendisse Hierosolymam propter pascha, post haec uenisse in Iudaeam terram et discipulos eius et illic demoratum cum eis et baptizantem, ubi secutus ait: erat autem et Iohannes baptizans in Aeno iuxta Salim, quia aquae multae erant illic, et adueniebant et baptizabantur: nondum enim missus erat in carcerem Iohannes—, Mattheus autem dicat: cum autem audisset quod Iohannes traditus esset, secessit in Galilaeam. similiter et Marcus: posteaquam autem traditus est, inquit, Iohannes, uenit Iesus in Galilaeam. Lucas etiam nihil quidem dicit de tradito Iohanne, sed tamen et ipse post baptismum et temtationem Christi dicit eum isse in Galilaeam, sicut illi duo. nam ita contexit narrationem suam: et consummata omni temtatione diabolus recessit ab illo usque ad tempus. et egressus est Iesus in uirtute spiritus in Galilaeam et fama exiit peruniuersam regionem de illo. unde intellegitur hos tres euangelistas non Iohanni euangelistae contraria narrasse, sed praetermisisse primum domini aduentum in Galilaeam, posteaquam baptizatus est, quando illic aquam conuertit in uinum — tunc enim nondum erat traditus Iohannes —, eum uero aduentum eius in Galilaeam conexuisse narrationibus suis, qui post Iohannem traditum factus est. de quo eius reditu in Galilaeam etiam ipse Iohannes euangelista sic loquitur: ut ergo cognouit Iesus, quia audierunt Pharisaei, quia Iesus plures discipulos facit et baptizat quam Iohannes, quamquam Iesus non baptizaret, sed discipuli eius, reliquit Iudaeam et abiit iterum in Galilaeam. tunc ergo intellegimus iam fuisse traditum Iohannem, Iudaeos uero audisse, quod plures discipulos faceret et baptizaret, quam fecerat et baptizauerat Iohannes.

Iam nunc de illo sermone prolixo, quem secundum Mattheum in monte habuit dominus, uideamus, utrum ei ceteri euangelistae nihil aduersari uideantur. Marcus quippe non eum commemorauit omnino nec aliquid eius simile dixit nisi quasdam sententias non contextim, sed sparsim, quas dominus locis aliis repetiuit. reliquit tamen locum in textu narrationis suae, ubi intellegamus hunc dictum esse sermonem, sed ab eo praetermissum: et erat, inquit, praedicans in synagogis eorum et omni Galilaea et demonia eiciens. in hac praedicatione, quam dicit eum habuisse in omni Galilaea, intellegitur etiam sermo iste habitus in monte, cuius commemorationem facit Mattheus. namque idem Marcus ita sequitur: et uenit ad eum leprosus deprecans eum et genu flexo dixit: si uis, potes me mundare, et cetera. de hoc leproso mundato talia conectit, ut ipse intellegatur, quem Mattheus commemorat tunc esse mundatum, quando post illum sermonem dominus de monte descendit. sic enim ait Mattheus: cum autem descendisset de monte, secutae sunt eum turbae multae. 2et ecce leprosus ueniens adorabat eum dicens: domine, si uis, potes me mundare, et cetera.

Huius leprosi etiam Lucas meminit non sane hoc ordine, sed ut solent praetermissa recordari uel posterius facta praeoccupari, sicut diuinitus suggerebantur quae ante cognita postea recordando conscriberent. uerum tamen idem Lucas sermonem etiam ipse domini prolixum narrauit, ubi etiam sic exorsus est, ut in isto Mattheus. hic enim dixit beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum, et ille beati pauperes, quia uestrum est regnum dei. deinde multa quae sequuntur etiam in Lucae narratione similia sunt. et ad extremum sermonis ipsa conclusio prorsus eadem repperitur, de homine prudente, qui aedificat super petram, et de stulto, qui aedificat super harenam, nisi quod ibi flumen tantum dicit inlisum domui, non etiam pluuiam et uentos, sicut Mattheus. posset ergo facillime credi eundem etiam ipse domini interposuisse sermonem, aliquas autem praetermisisse sententias, quas Mattheus posuit, item alias posuisse, quas iste non dixit, quasdam etiam non isdem uerbis, custodita tamen ueritatis integritate similiter explicasse.

Posset hoc, ut dixi, facillime credi, nisi moueret, quod Mattheus in monte dicit hunc habitum esse sermonem a domino sedente, Lucas autem in loco campestri a domino stante. haec itaque diuersitas facit uideri alium fuisse illum, alium istum. quid enim prohiberet Christum alibi quaedam repetere quae antea iam dixerat aut iterum quaedam facere quae ante iam fecerat? non sane istos duos sermones, quorum unum Mattheus, alterum Lucas inseruit, longa temporis distantia separari hinc probabiliter creditur, quod et ante et postea quaedam similia uel eadem ambo narrarunt, ut non absurde sentiatur eorum narrationes haec interponentium in eisdem locis et diebus esse uersatas. nam Mattheus hoc ita dicit: et secutae sunt cum turbae multae a Galilaea et Decapoli et Hierosolymis et Iudaea et de trans Iordanen. uidens autem turbas ascendit in montem, et cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli eius. et aperiens os suum docebat eos dicens: beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum, et cetera. hic potest uideri multas turbas uitare uoluisse et ob hoc ascendisse in montem tamquam secedendo a turbis, ut solis suis discipulis loqueretur. cui rei uidetur adtestari etiam Lucas ita narrans: factum est autem in illis diebus, exiit in montem orare et erat pernoctans in oratione dei. et cum dies factus esset, uocauit discipulos suos et elegit duodecim ex ipsis, quos et apostolos nominauit, Simonem, quem cognominauit Petrum, et Andream fratrem eius, Iacobum et Iohannem, Philippum et Bartholomeum, Mattheum Mattheum, Iacobum Alphei et Simonem, qui uocatur Zelotes, Iudam Iacobi et ludam Scariotem, qui fuit proditor. et descendens cum illis stetit in loco campestri, et turba discipulorum eius et multitudo copiosa plebis ab omni Iudaea et Hierusalem et maritima Tyri et Sidonis, qui uenerant, ut audirent eum et sanarentur a languoribus suis. et qui uexabantur ab spiritibus inmundis curabantur. et omnis turba quaerebat eum tangere, quia uirtus de illo exiebat et sanabat omnes. et ipse eleuatis oculis in discipulos dicebat: beati pauperes, quia uestrum est regnum dei, et cetera. hic potest intellegi, cum in monte duodecim discipulos elegit ex pluribus, quos apostolos nominauit, quod Mattheus praetermisit, tunc illum habuisse sermonem, quem Mattheus interposuit et Lucas tacuit, hoc est in monte, ac deinde, cum descendisset, in loco campestri habuisse alterum similem, de quo Mattheus tacet et Lucas non tacet, et utrumque sermonem eodem modo esse conclusum.

Quod autem Mattheus isto sermone terminato sequitur et dicit: et factum est, cum consummasset Iesus uerba haec, admirabantur turbae super doctrinam eius, potest uideri discipulorum turbas dixisse, ex quibus illos duodecim elegerat. quod uero mox ait: cum autem descendisset de monte, secutae sunt eum turbae multae, et ecce leprosus ueniens adorabat eum, potest intellegi post utrumque sermonem factum fuisse, non solum quem Mattheus, uerum etiam quem Lucas interponit. neque enim apparet post descensionem de monte quantum temporis fuerit interpositum, sed hoc solum uoluit significare Mattheus post illam descensionem multas turbas fuisse cum domino, quando leprosum mundauit, non quantum temporis interfuerit, praesertim cum eundem leprosum Lucas iam in ciuitate posito domino dicat esse mundatum, quod Mattheus dicere non curauit.

Quamquam etiam illud possit occurrere, in aliqua excelsiore parte montis primo cum solis discipulis dominum fuisse, quando ex eis illos duodecim elegit, deinde cum eis descendisse, non de monte, sed de ipsa montis celsitudine in campestrem locum, id est in aliquam aequalitatem, quae in latere montis erat et multas turbas capere poterat, adque ibi stetisse, donec ad eum turbae congregarentur, ac postea cum sedisset, accessisse propinquius discipulos eius adque ita illis ceterisque turbis praesentibus unum habuisse sermonem, quem Mattheus Lucasque narrarunt diuerso narrandi modo, sed eadem ueritate rerum et sententiarum, quas ambo dixerunt. iam enim praemonuimus, quod et nullo praemonente unicuique sponte uidendum fuit, si quis praetermittat aliquid quod alius dicat, non esse contrarium, nec si alius alio modo aliquid dicat, dum eadem rerum sententiarumque ueritas explicetur, ut quod Mattheus ait cum autem descendisset de monte, simul etiam de illo campestri loco, qui in latere montis esse potuit, intellegatur. deinde Mattheus de leproso mundato narrat, quod etiam Marcus et Lucas similiter.

XX. Post haec Mattheus sequitur et dicit: cum autem introisset Capharnaum, accessit ad illum centurio rogans eum et dicens: domine, puer meus iacet in domo paralyticus et male torquetur, et cetera usque ad eum locum, ubi ait: et sanatus est puer ex hora illa. hoc de puero centurionis etiam Lucas commemorat, non sicut iste post leprosum mundatum, quem ille postea recordatus commemorauit, sed post finem illius prolixioris sermonis, quod ita coniungit: cum autem implesset omnia uerba sua in aures plebis, intrauit Capharnaum. centurionis autem cuiusdam seruus male habens erat moriturus, qui illi erat pretiosus, et cetera usque in eum locum, quo sanatus est. hic intellegendum est, cum implesset quidem omnia uerba sua in aures plebis, intrasse Christum Capharnaum, hoc est, quia non, antequam haec uerba terminasset, intrauit, sed non esse expressum, post quantum temporis interuallum, cum istos sermones-. mones terminasset, intrauerit Capharnaum. ipso quippe interuallo leprosus ille mundatus est, quem loco suo Mattheus interponit, iste autem postea recordatur.

Iam ergo uideamus, utrum sibi de hoc seruo centurionis Mattheus Lucasque consentiant Mattheus enim dicit: accessit ad eum centurio rogans eum et dicens: puer meus iacet in domo paralyticus. cui uidetur repugnare quod ait Lucas: et cum audisset de Iesu, misit ad eum seniores Iudaeorum rogans eum, ut ueniret et saluaret seruum eius. at illi cum

uenissent ad Iesum, rogabant eum sollicite dicentes ei: quia dignus est, ut hoc illi praestes; diligit enim gentem nostram et synagogam ipse aedificauit nobis. Iesus autem ibat cum illis. et cum iam non longe esset a domo, misit ad eum centurio amicos dicens: domine, noli uexari; non enim dignus sum, ut sub tectum meum intres, propter quod et me ipsum non sum dignum arbitratus, ut uenirem ad te; sed dic uerbo et sanabitur puer meus. si enim hoc ita gestum est, quomodo erit uerum quod Mattheus narrat accessit ad eum quidam centurio, cum ipse non accesserit, sed amicos miserit, nisi diligenter aduertentes intellegamus Mattheum non omni modo deseruisse usitatum morem loquendi? non solum enim dicere solemus accessisse aliquid, etiam antequam perueniat illuc quo dicitur accessisse — unde etiam dicimus \'parum accessit\' uel \'multum accessit* eo quo appetit peruenire —, uerum etiam ipsam peruentionem, cuius adipiscendi causa acceditur, dicimus plerumque factam, etsi eum ad quem peruenit non uideat ille qui peruenit, cum per amicum peruenit ad aliquem, cuius ei fauor est necessarius. quod ita tenuit consuetudo, ut iam etiam uulgo peruentores appellentur qui potentium quorumlibet tamquam inaccessibiles animos per conuenientium personarum interpositionem ambitionis arte pertingunt. si ergo ipsa peruentio usitate dicitur per alios fieri, quanto magis accessus per alios fieri potest, qui plerumque infra peruentionem remanet, quando potuerit quisque plurimum quidem accedere, sed tamen non potuerit peruenire! non ergo absurde Mattheus etiam quod uulgo possit intellegi per alios facto accessu centurionis ad dominum conpendio dicere uoluit accessit ad eum centurio.

Yerum tamen non neglegenter intuenda est etiam sancti euangelistae altitudo mysticae locutionis, secundum quam scriptum eat in psalmo: accedite ad eum et inluminamini. proinde quia fidem centurionis,. qua uere acceditur ad Iesum, ipse ita laudauit, ut diceret non inueni tantam fidem in Israhel, ipsum potius accessisse ad Christum dicere uoluit prudens euangelista quam illos per quos uerba sua miserat. porro autem Lucas ideo totum quemadmodum gestum esset aperuit, ut ex hoc intellegere cogeremur, quemadmodum eum accessisse dixerit alius qui mentiri non potuit. sic enim et illa mulier, quae fluxum sanguinis patiebatur, quamuis fimbriam uestimenti eius tenuerit, magis tamen tetigit dominum quam illae turbae, a quibus premebatur. ut enim haec, quo magis credidit, eo magis tetigit dominum, ita et centurio, quo magis credidit, eo magis accessit ad dominum. iam cetera in hoc capitulo quae alter dicit et alter praetermittit superfluo pertractantur, cum ex illa regula primitus commendata nihil inueniantur habere contrarium.

XXI. Sequitur Mattheus et dicit: et cum uemsset Iesus in domum Petri, uidit socrum eius iacentem et febricitantem. et tetigit manum eius, et dimisit eam febris, et surrexit et ministrabat eis. hoc quando factum sit, id est post quid uel ante quid, non expressit Mattheus. non enim post quod narratur, post hoc etiam factum necesse est intellegatur. nimirum tamen iste hoc recoluisse intellegitur quod prius omiserat. nam id Marcus narrat, antequam illud de leproso mundato commemoret, quod post sermonem in monte habitum, de quo ipse tacuit, uidetur interposuisse. itaque et Lucas post hoc factum narrat de socru Petri, post quod et Marcus, ante sermonem etiam ipse, quem prolixum interposuit, qui potest idem uideri quem dicit habitum in monte Mattheus. quid autem interest, quis quo loco ponat siue

quod ex ordine inserit siue quod omissum recolit siue quod postea factum ante praeoccupat, dum tamen non aduersentur eadem uel alia narranti nec sibi nec alteri? quia enim nullius in potestate est, quamuis optime fideliterque res cognitas quo quisque ordine recordetur — quid enim prius posteriusue homini ueniat in mentem, non est ut uolumus, sed ut datur —, satis probabile est quod unusquisque euangelistarum eo se ordine credidit debuisse narrare, quo uoluisset deus ea ipsa quae narrabat eius recordationi suggerere in eis dumtaxat rebus, quarum ordo, siue ille siue ille sit, nihil minuit auctoritati ueritatique euangelicae.

Cur autem spiritus sanctus diuidens propria unicuique prout uult et ideo mentes quoque sanctorum propter libros in tanto auctoritatis culmine conlocandos in recolendo quae scriberent sine dubio gubernans et regens alium sic, alium uero sic narrationem suam ordinare permiserit, quisquis pia diligentia quaesierit, diuinitus adiutus poterit inuenire. hoc tamen non est huius operis munus, quod nunc suscepimus, tantum ut demonstremus euangelistas neque sibi neque inter se repugnare, quolibet ordine uel easdem res uel alias factorum dictorumque Christi unusquisque eorum potuerit uolueritue narrare. quapropter ubi ordo temporum non apparet, nihil nostra interesse debet, quem narrandi ordinem quilibet eorum tenuerit, ubi autem apparet, si quid mouerit, quod sibi aut alteri repugnare uideatur, utique considerandum et enodandum est.

XXII. Sequitur ergo Mattheus dicens: uespere autem facto optulerunt ei multos demonia habentes et eiciebat spiritus uerbo et omnes male habentes curauit, ut adimpleretur quod dictum est per Esaiam prophetam dicentem: ipse infirmitates nostras accepit et aegrotationes portauit. hoc ad eiusdem diei tempus pertinere satis indicat, cum coniungit uespere autem facto. sic et Marcus, cum de ipsa socru Petri sanata dixisset et ministrabat eis, hoc idem subiecit: uespere autem facto cum occidisset sol, afferebant ad eum omnes male habentes et demonia habentes, et erat omnis ciuitas congregata ad ianuam. et curauit multos qui uexabantur uariis languoribus et demonia multa eiciebat et non sinebat ea loqui, quoniam sciebant eum et diluculo ualde surgens egressus abiit in desertum locum. uidetur hic ordinem tenuisse Marcus, ut post illud quod dictum est uespere autem facto deinde diceret et diluculo ualde surgens. quamuis nec illud necesse sit, ubi dicitur \'uespere facto\', eiusdem diei uesperum accipere, nec ubi dicitur \'diluculo\', eiusdem noctis diluculum, tamen utcumque uideri potest hic rerum gestarum ordo seruatus propter digestum ordinem temporum. Lucas quoque, cum de socru Petri narrasset, non ait ipse \'uespere autem facto\', sed tamen quod idem significaret adiunxit dicens: cum sol autem occidisset, omnes qui habebant infirmos uariis languoribus ducebant illos ad eum: at ille singulis manum inponens curabat eos. exiebant etiam demonia a multis clamantia et dicentia: quia tu es filius dei. et increpans non sinebat ea loqui, quia sciebant ipsum esse Christum. facta autem die egressus ibat in desertum locum. et hic uidemus eundem prorsus ordinem temporum custoditum, quem conperimus aput Marcum. Mattheus autem, qui uidetur non ordine, quo gestum est, sed quo praetermissum recolit, hoc de socru Petri commemorasse, posteaquam narrauit, quid ipso die facto etiam uespere gestum sit, iam non subiungit diluculum, sed ita narrat: uidens autem Iesus turbas multas circum se iussit ire trans fretum. iam hoc aliud est, non illud quod Marcus et Lucas contexunt, qui post uesperum diluculum ponunt. quod

ergo hic dictum est uidens autem Iesus turbas multas circum se iussit ire trans fretum, aliud eum recordatum interposuisse debemus accipere, quod die quodam, cum uidisset Iesus turbas multas circum se, iussit ire trans fretum.

Deindequodsubiungit: et accedens unusscriba ait illi: magister, sequar te, quocumque ieris, usque ad illud ubi ait: dimitte mortuos sepelire mortuos suos, hoc similiter narrat et Lucas. sed ille post plura nec ipse sane expresso ordine temporum, sed recordantis modo, utrum quod prius omisit an quod posterius etiam factum quam sunt ea quae sequuntur praeoccupauit, incertum est. ita enim dicit: factum est autem ambulantibus illis in uia, dixit quidam ad illum: sequar te, quocumque ieris. et respondit ei prorsus eadem quae Mattheus commemorat. quod autem Mattheus dicit tunc istud gestum esse, quando iussit, ut irent trans fretum, Lucas uero ambulantibus illis in uia, non est contrarium, quia in uia utique ambulabant, ut uenirent ad fretum. et de illo qui petit primo sepelire patrem suum Mattheus et Lucas omnino consentiunt. quod enim Mattheus primo eiusdem uerba posuit hoc propter patrem suum petentis et deinde domini dicentis sequere me, Lucas autem primo domini dicentis sequere me et deinde illius hoc petentis, ad sententiam nihil interest commemorauit Lucas et alium dixisse: sequar te, domine, sed primum permitte mihi renuntiare his qui domi sunt, de quo tacet Mattheus. inde iam Lucas in aliud perrexit, non in illud quod ordine temporis sequebatur. post haec autem, inquit, designauit dominus et alios septuaginta duo. post haec quidem manifeste, sed quanto temporis interuallo post haec fecerit illud dominus, non apparet. in ipso tamen interuallo fit quod deinceps Mattheus subiungit. nam idem Mattheus ordinem temporum adhuc tenet ita narrans:

Et ascendente eo in nauiculam secuti sunt eum discipuli eius. et ecce motus magnus factus est in mari, usque ad illud ubi ait: et uenit in ciuitatem suam. ista duo facta continuatim quae narrat Mattheus de tranquillato mari, posteaquam uentis imperauit Iesus a somno excitatus, et de illis qui habebant saeuum demonium ruptisque uinculis agebantur in desertum similiter narrant Marcus et Lucas. uerbis aliis dictae sunt ab alio adque alio quaedam sententiae, non tamen aliae, uelut illud quod eum dicit dixisse Mattheus: quid timidi estis, modicae fidei? Marcus ita dicit: quid timidi estis? necdum habetis fidem? id est illam perfectam uelut granum sinapis. hoc ergo et ille ait: modicae fidei. Lucas autem: ubi est fides uestra? et totum quidem dici potuit: quid timidi estis? ubi est fides uestra? modicae fidei. unde aliud hic, aliud ille commemorat. et illud quod excitantes eum dixerunt Mattheus sic: domine, salua nos, perimus, Marcus: magister, non ad te pertinet, quia perimus? Lucas: praeceptor, perimus, una eademque sententia est excitantium dominum uolentiumque saluari, nec opus est quaerere, quid horum potius Christo dictum sit. siue enim aliquid horum trium dixerint, siue alia uerba quae nullus euangelistarum commemorauit, tantundem tamen ualentia ad eandem sententiae ueritatem, quid ad rem interest? quamquam et hoc fieri potuit, ut pluribus eum simul excitantibus omnia haec, aliud ab alio, dicerentur. item quod sedata tempestate dixerunt secundum Mattheum: qualis est hic, quia uenti et mare oboediunt ei? secundum Marcum: quis putas est iste, quia uentus et mare oboediunt ei? secundum Lucam: quis putas hic est, quia et uentis imperat et mari et oboediunt ei? quis non uideat unam esse sententiam? tantundem enim prorsus ualet quis putas est? et qualis

est hic? et ubi non est dictum imperat, utique consequenter intellegitur, quia imperanti oboeditur.

Quod uero Mattheus duos dicit fuisse, qui legionem illam demonum patiebantur, quae in porcos ire permissa est, Marcus autem et Lucas unum commemorant, intellegas unum eorum fuisse personae alicuius clarioris et famosioris, quem regio illa maxime dolebat et pro cuius salute plurimum satagebat. hoc uolentes significare duo euangelistae solum commemorandum iudicauerunt, de quo facti huius fama latius praeclariusque fraglauerat. nec quod uerba demonum diuerse ab euangelistis dicta sunt, habet aliquid scrupuli, cum uel ad unam redigi sententiam uel omnia dicta possint intellegi. nec quia pluraliter aput Mattheum, aput illos autem singulariter loquitur, cum et ipsi narrent, quod interrogatus quid uocaretur legionem se esse respondit eo quod multa essent demonia, nec quod Marcus circa montem fuisse gregem porcorum, Lucas autem in monte, quicquam repugnat. grex enim porcorum tam magnus fuit, ut aliquid eius esset in monte, aliquid circa montem. erant enim duo milia porcorum, sicut Marcus expressit.

Hinc ergo sequitur Mattheus adhuc temporum ordinem seruans adque ita narrationem contexit: et ascendens in nauiculam transfretauit et uenit in ciuitatem suam. et ecce offerebant ei paralyticum iacentem in lecto, et cetera usque ad illud quod ait: uidentes autem turbae timuerunt et glorificauerunt deum qui dedit potestatem talem hominibus. de hoc paralytico dixerunt etiam Marcus et Lucas. quod ergo Mattheus dicit dominum dixisse: confide, fili, dimittuntur tibi peccata tua, Lucas autem non dixit fili, sed homo, ad sententiam domini expressius insinuandam ualet, quia homini dimittebantur peccata, qui hoc ipso quod homo erat non posset dicere \'non peccaui\', simul etiam ut ille qui homini dimittebat intellegeretur deus. Marcus uero hoc dixit, quod et Mattheus, sed non dixit confide. potuit quidem et ita dici \'confide, homo, dimittuntur tibi peccata, fili ? , aut (confide, fili, dimittuntur tibi peccata, homo\', aut quolibet uerborum ordine congruenti.

Illud sane potest mouere quod de isto paralytico Mattheus ita narrat: et ascendens in nauiculam transfretauit et uenit in ciuitatem suam. et ecce offerebant ei paralyticum iacentem in lecto, Marcus autem non hoc in eius ciuitate factum dicit, quae utique Nazareth uocatur, sed Capharnaum, quod ita narrat: et iterum intrauit in Capharnaum post dies, et auditum est quod in domo esset et conuenerunt multi, ita ut non caperet neque ad ianuam, et loquebatur eis uerbum. et uenerunt ferentes ad eum paralyticum, qui a quattuor portabatur. et cum non possent offerre eum illi prae turba, nudauerunt tectum ubi erat et patefacientes summiserunt grabatum, in quo paralyticus iacebat. cum uidisset autem Iesus fidem illorum, et cetera, Lucas autem non commemorat, quo in loco factum sit, sed ita dicit: et factum est in una dierum et ipse sedebat docens, et erant Pharisaei sedentes et legis doctores, qui uenerant ex omni castello Galilaeae et Iudaeae et Hierusalem, et uirtus erat domini ad sanandos eos. et ecce uiri portantes in lecto hominem, qui erat paralyticus, et quaerebant eum inferre et ponere ante eum. et non inuenientes qua parte illum inferrent prae turba ascenderunt supra tectum et per tegulas summiserunt illum cum lecto in medium ante Iesum. quorum fidem ut uidit, dixit: homo, dimittuntur tibi peccata tua, et cetera. remanet igitur quaestio

inter Marcum et Mattheum, quod Mattheus ita scribit, tamquam in ciuitate domini factum sit, Marcus autem in Capharnaum. quae difficilius solueretur, si Mattheus etiam Nazareth nominaret. nunc uero cum potuerit ipsa Galilaea dici ciuitas Christi, quia in Galilaea erat Nazareth, sicut uniuersum regnum in tot ciuitatibus constitutum dicitur Romana ciuitas, cumque in tot gentibus constituta sit ciuitas, de qua scriptum est: gloriosissima dicta sunt de te, ciuitas dei, et cum prior ipse populus dei in tot ciuitatibus habitans etiam una domus dictus sit. domus Israhel, quis dubitauerit in ciuitate sua hoc fecisse Iesum, cum hoc fecerit in ciuitate Capharnaum, ciuitate Galilaeae, quo transfretando redierat de regione Gerasenorum, ut ueniens in Galilaeam recte diceretur uenisse in ciuitatem suam, in quocumque oppido esset Galilaeae, praesertim quia et ipsa Capharnaum ita excellebat in Galilaea, ut tamquam metropolis haberetur? quod si prorsus non liceret accipere ciuitatem Christi uel ipsam Galilaeam, in qua erat Nazareth, uel ipsam Capharnaum, quae sicut caput Galilaeae ciuitatibus eminebat, diceremus Mattheum praetermisisse quae gesta sunt, posteaquam uenit Iesus in ciuitatem suam, donec ueniret et Capharnaum, et hoc adiunxisse de sanato paralytico, sicut in multis ita faciunt praetermittentes media, tamquam hoc continuo sequatur quod sine ulla praetermissionis suae significatione subiungunt.

XXVI. Hinc ergo sequitur Mattheus dicens: et cum transiret inde Iesus, uidit hominem sedentem in telonio, Mattheum nomine, et ait illi: sequere me. et surgens secutus est eum. hoc Marcus ita narrat eundem etiam ipse ordinem tenens post illius paralytici sanitatem: et egressus est, inquit, ad mare omnisque turba ueniebat ad eum et docebat eos. ue t cum praeteriret, uidit Leuin Alphei sedentem ad telonium et ait illi: sequere me. et surgens secutus est eum. nihil hic repugnat; ipse est enim Mattheus qui et Leui. Lucas etiam hoc post eundem paralyticum sanatum ita subiungit: et post haec exiit et uidit publicanum nomine Leui sedentem ad telonium et ait illi: sequere me. et relictis omnibus surgens secutus est eum. hinc autem probabilius uidetur, quod haec praetermissa recordando Mattheus commemorat, quia utique ante illum sermonem habitum in monte credendum uocatum esse Mattheum. in eo quippe monte tunc Lucas commemorat omnes duodecim ex plurimis discipulis electos, quos et apostolos nominauit.

Sequitur itaque Mattheus et dicit: et factum est discumbente eo in domo, ecce multi publicani et peccatores uenientes discumbebant cum Iesu et discipulis eius, et cetera usque ad illud ubi ait: sed uinum nouum in utres nouos mittunt et ambo conseruantur. hic Mattheus non expressit, in cuius domo discumbebat Iesus cum publicanis et peccatoribus. unde posset uideri non hoc ex ordine subiunxisse, sed quod alio tempore factum est recordatus interposuisse, nisi Marcus et Lucas, qui hoc omnino similiter narrant, manifestarent in domo Leui, hoc est Matthei, discubuisse Iesum et dicta illa omnia quae sequuntur. ita enim Marcus hoc idem dicit eundem ordinem seruans: et factum est, cum accumberet in domo illius, multi publicani et peccatores simul discumbebant cum Iesu. cum ergo dicit in domo illius, exprimit utique illum, de quo superius loquebatur, id est Leui. sic et Lucas cum dixisset: ait illi: sequere me, et relictis omnibus surgens secutus est eum, continuo subiecit: et fecit ei Leui conuiuium magnum in domo sua, et erat turba multa publicanorum et aliorum qui cum illis erant discumbentes. manifestum est itaque, in cuius domo ista gerebantur.

Iam ipsa uerba uideamus, uel quae domino dicta uel quae ab illo responsa omnes isti tres euangelistae posuerunt. Mattheus: et uidentes, inquit, Pharisaei dicebant discipulis eius:quarecumpublicanis et peccatoribus manducat magister uester? totidem paene uerbis hoc ait et Marcus: quare cum publicanis et peccatoribus manducat et bibit magister uester? praetermissum est ergo a Mattheo quod iste addidit bibit. sed quid ad rem, cum plena sit sententia insinuans pariter conuiuantes? Lucas autem aliquanto differentius hoc uidetur commemorasse. et murmurabant, inquit, Pharisaei et scribae eorum dicentes ad discipulos eius: quare cum publicanis et peccatoribus manducatis et bibitis? non utique magistrum eorum nolens illic intellegi, sed simul omnibus, et ipsi et discipulis eius, hoc obiectum insinuans, non tamen ei dictum, sed illis, quod et de ipso et de illis acciperetur. nam utique et ipse Lucas ita dicit dominum respondisse: non ueni uocare iustos, sed peccatores in paenitentiam. quod non eis respondisset, nisi quod dixerant manducatis et bibitis ad ipsum maxime pertineret. propterea etiam Mattheus et Marcus de illo discipulis eius hoc obiectum esse narrarunt, quia, cum et de discipulis dicebatur, magistro magis obiciebatur, quem sectando imitabantur. una ergo sententia est, et tanto melius insinuata, quanto quibusdam uerbis manente ueritate uariata. item quod Mattheus refert dominum respondisse: non est opus ualentibus medicus, sed male habentibus. euntes autem discite, quid est: misericordiam uolo et non sacrificium. non enim ueni uocare iustos, sed peccatores, Marcus quoque et Lucas eisdem paene uerbis eandem sententiam tenuerunt, nisi quod ambo non interponunt illud ex propheta testimonium: misericordiam uolo quam sacrificium. Lucas autem cum dixisset: non ueni uocare iustos, sed peccatores, addidit in paenitentiam, quod ad explanandam sententiam ualet, ne quisquam peccatores ob hoc ipsum quod peccatores sunt diligi arbitretur a Christo, cum et illa similitudo de aegrotis bene intimet, quid uelit deus uocando peccatores tamquam medicus aegros, utique ut ab iniquitate tamquam ab aegritudine salui fiant, quod fit per paenitentiam.

Item quod dicit Mattheus: tunc accesserunt ad eum discipuli Iohannis dicentes: quare nos et Pharisaei ieiunamus frequenter? Marcus similiter intulit dicens: et erant discipuli Iohannis et Pharisaei ieiunantes, et ueniunt et dicunt illi: cur discipuli Iohannis et Pharisaeorum ieiunant? nisi quod iste putari potest addidisse Pharisaeos, quod simul cum discipulis Iohannis hoc dixerint, cum Mattheus tantum discipulos Iohannis hoc dixisse perhibeat. sed uerba ipsa, quae illos dixisse aput Marcum legitur, magis indicant alios hoc dixisse de aliis, id est conuiuas qui aderant uenisse ad Iesum, quia ieiunabant discipuli Iohannis et Pharisaei, et hoc ei de illis dixisse, ut quod ait ueniunt non de ipsis dixerit, de quibus interposuerat: et erant discipuli Iohannis et Pharisaei ieiunantes, sed cum isti essent ieiunantes, ueniunt illi quos hoc mouit et dicunt illi: cur discipuli Iohannis et Pharisaeorum ieiunant, tui autem non ieiunant? quod Lucas euidentius expressit ita hoc idem intimans, cum dixisset, quid eis responderit dominus de uocatione peccatorum tamquam aegrotorum: at illi, inquit, dixerunt ad eum: quare discipuli Iohannis ieiunant frequenter et obsecrationes faciunt, similiter et Pharisaeorum, tui autem edunt et bibunt? ergo et hic sicut Marcus alios de aliis hoc dixisse narrauit. unde ergo Mattheus: tunc accesserunt ad eum discipuli Iohannis dicentes: quare nos et Pharisaei ieiunamus? nisi quia et ipsi aderant et omnes certatim,

ut quisque poterat, hoc obiecerunt, quorum sententia diuerso loquendi modo, sed tamen a ueritate non alieno, a tribus euangelistis insinuata est.-

Item illud de sponsi filiis, quia non ieiunabunt, quamdiu cum eis est sponsus, similiter interposuerunt Mattheus et Marcus, nisi quod Marcus filios nuptiarum appellauit quos ille sponsi, quod ad rem nihil interest. filios quippe nuptiarum non tantum sponsi, sed etiam sponsae intellegimus. eadem ergo est aperta sententia, non altera aduersa. Lucas autem non ait \'numquid possunt filii sponsi ieiunare?\' sed ait: numquid potestis filios sponsi, quamdiu cum illis est sponsus, facere ieiunare? in quo et ipse ad aliud quiddam insinuandum eandem sententiam eleganter aperuit. sic enim intellegitur eosdem ipsos qui loquebantur fuisse facturos, ut lugentes ieiunarent filii sponsi, quoniam ipsi essent sponsum occisuri. quod autem dixit Mattheus lugere, hoc Marcus et Lucas ieiunare, quia et ille postea tunc ieiunabunt ait, non \'tunc lugebunt\'. uerum illo uerbo significauit de tali ieiunio dominum locutum, quod pertinet ad humilitatem tribulationis, ut illud alterum, quod pertinet ad gaudium mentis in spiritalia suspensae adque ob hoc alienatae quodammodo a corporalibus cibis, posterioribus similitudinibus dominus significasse intellegitur de panno nouo et uino nouo id ostendens, quod animalibus adque carnalibus circa corpus occupatis et ob hoc ueterem adhuc sensum trahentibus hoc genus ieiunii non congruat. quas similitudines et alii duo similiter explicarunt. iam enim satis in promtu est nihil esse contrarium, si quid alius dicit quod alius praetermittit seu uerbi seu rei, dum uel ab eadem sententia non recedatur uel quae forte alia ponitur aliae non aduersetur.

XXVIII. Sequitur deinde Mattheus adhuc temporum ordinem seruans: haec illo loquente ad eos ecce princeps unus accessit et adorabat eum dicens: filia mea modo defuncta est, sed ueni, inpone manum tuam super eam, et uiuet, et cetera usque ad illud ubi ait: et surrexit puella. et exiit fama haec in uniuersam terram illam. dicunt hoc et alii duo, Marcus et Lucas, sed ab isto ordine iam recedunt. alibi enim hoc recordantur adque inserunt, id est eo loco, ubi redit transfretando a regione Gerasenorum post expulsa adque in porcos dimissa demonia. nam hoc Marcus ita coniungit post illud aput Gerasenos factum: et cum transcendisset, inquit. Iesus in naui rursus trans fretum, conuenit turba multa ad illum, et erat circa mare. et uenit quidam de archisynagogis, nomine Iahirus, et uidens eum procidit ad pedes eius, et cetera. ac per hoc intellegendum est hoc quidem de archisynagogi filia factum esse, cum transcendisset Iesus in naui rursus trans fretum, sed quanto post, non apparet. nisi enim fuisset interuallum, non esset quando fieret quod modo narrauit Mattheus in conuiuio domus suae; tamquam de alio quippe narrauit more euangelistarum quod de se ac domi suae gestum erat, post quod factum nihil aliud continuo sequitur quam hoc de archisynagogi filia. sic enim ipse contexit, ut ipse transitus aperte indicet hoc consequenter narrari quod et consequenter factum est, quando quidem cum superius commemorasset quae de panno nouo et de uino nouo Iesus dixerit, continuo subiecit: haec illo loquente ad eos ecce princeps unus accessit. ac per hoc si haec illo loquente accessit, nihil aliud factorum dictorumque eius interpositum est. in narratione autem Marci patet locus, ubi interponi alia potuerint, sicut iam ostendimus. similiter et Lucas, cum post narratum aput Gerasenos miraculum transit ad narrandum de archisynagogi filia, non sic transit, ut ren-

itatur Mattheo, qui post illas de panno et uino similitudines hoc gestum esse demonstrat dicendo haec illo loquente. iste quippe, cum terminasset quod aput Gerasenos factum narrauerat, hoc modo transit in aliud: factum est autem, inquit, cum redisset Iesus, excepit illum turba: erant enim omnes exspectantes eum. et ecce uir, cui nomen Iahirus, et ipse princeps synagogae erat et cecidit ad pedes Iesu, et cetera. sic intellegitur, quod turba quidem illa continuo exceperit dominum, quippe quem rediturum exspectabat; quod uero adiunxit: et ecce uir, cui nomen erat Iahirus, non continuo factum accipiendum est, sed prius illud de conuiuio publicanorum, sicut narrat Mattheus, cui rei sic coniungit hoc, ut non possit aliud factum consequenter intellegi.

In hac ergo narratione, quam nunc considerandam suscepimus, de illa quidem quae fluxum sanguinis patiebatur omnes isti tres euangelistae sine ulla quaestione concordant. neque enim interest ad rei ueritatem, quod ab alio aliquid tacitum ab alio dicitur, nec quod Marcus dicit: quis tetigit uestimenta mea? et Lucas: quis me tetigit? alter enim dixit usitate, alter proprie, eandem tamen uterque sententiam. nam usitatius dicimus \'conscindis me quam \'conscindis uestimenta mea\', cum tamen in aperto sit, quid uelimus intellegi.

At uero cum Mattheus archisynagogum non morituram uel morientem uel in extremo uitae positam filiam suam narrat domino nuntiasse, sed omnino defunctam, illi autem duo morti iam proximam, nondum tamen mortuam, usque adeo, ut dicant uenisse postea qui mortuam nuntiarent et ob hoc iam non debere uexari magistrum, tamquam sic ueniret, ut manum inponendo mori non sineret, non ut qui posset mortuam suscitare, considerandum est, ne repugnare uideatur, et intellegendum breuitatis causa Mattheum hoc potius dicere uoluisse rogatum esse dominum, ut faceret quod eum fecisse manifestum est, ut scilicet mortuam suscitaret; adtendit enim non uerba patris de filia sua, sed, quod est potissimum, uoluntatem, et talia uerba posuit, qualis uoluntas erat. ita enim desperauerat, ut potius eam uellet reuiuescere, non credens uiuam posse inueniri quam morientem reliquerat. duo itaque posuerunt, quid dixerit Iahirus, Mattheus autem, quid uoluerit adque cogitauerit. utrumque ergo petitum est a domino, ut uel morientem saluam faceret uel mortuam suscitaret; sed cum instituisset Mattheus totum breuiter dicere, hoc insinuauit patrem rogantem dixisse quod et ipsum certum est uoluisse et Christum fecisse. sane si illi duo uel quisquam eorum patrem ipsum commemorasset dixisse quod sui de domo uenientes dixerant, ut iam non conuexaretur Iesus, quod puella mortua fuisset, repugnarent eius cogitationi uerba. quae posuit Mattheus. nunc uero et illud suis nuntiantibus et prohibentibus. ne iam magister ueniret, non legitur, quod ille consenserit. ac per hoc et illud quod ei dominus ait: noli timere, crede tantum et salua erit, non diffidentem reprehendit. sed credentem robustius confirmauit. talis quippe in illo fides erat, qualis et in illo qui ait: credo, domine; adiuua incredulitatem meam.

Quae cum ita sint, per huiusmodi euangelistarum locutiones uanas, sed non contrarias rem plane utilissimam discimus et pernecessariam, nihil in cuiusque uerbis nos debere inspicere nisi uoluntatem, cui debent uerba seruire, nec mentiri quemquam, si aliis uerbis dixerit quid ille uoluerit cuius uerba non dicit, ne miseri aucupes uocum apicibus quodammodo

litterarum putent ligandam esse ueritatem, cum utique non in uerbis tantum, sed etiam in ceteris omnibus signis animorum non sit nisi ipse animus inquirendus.

Quod autem nonnulli codices habent secundum Mattheum: non enim mortua est mulier, sed dormit, cum eam Marcus et Lucas duodecim annorum puellam fuisse testentur. intellegas Hebraeo more locutum esse Mattheum. nam et aliis scripturarum locis hoc inuenitur non eas tantum quae uirum passae fuerant, sed omnino feminas etiam intactas adque integras mulieres appellari, sicut de ipsa Eua scriptum est: formauit eam in mulierem, et illud in libro Numerorum ubi iubentur custodiri mulieres, quae nescierunt cubile masculi, id est uirgines, ne interficiantur, qua locutione etiam Paulus ipsum Christum ait factum ex muliere. hoc enim melius intellegimus, quam ut illam duodecim annorum iam nuptam uel uirum expertam fuisse credamus.

XXVIIII. Sequitur Mattheus et dicit: et transeunte inde Iesu secuti sunt eum duo caeci clamantes et dicentes: miserere nostri, fili Dauid, et cetera usque ad illud ubi ait: Pharisaei autem dicebant: in principe demoniorum eicit demones. hoc de duobus caecis et muto demonio solus Mattheus ponit. illi enim duo caeci, de quibus et alii narrant, non sunt isti, sed tamen simile factum est, ita ut, si ipse Mattheus non etiam illius facti meminisset, posset putari hoc quod nunc narrat dictum fuisse etiam ab aliis duobus. quod commendare memoriae diligenter debemus esse quaedam facta similia, quod probatur, cum idem ipse euangelista utrumque commemorat, ut, si quando talia singula aput singulos inuenerimus adque in eis contrarium quod solui non possit, occurrat nobis non hoc esse factum, sed aliud simile uel similiter factum.

Sane deinceps non apparet ordo rerum gestarum. nam post haec duo facta de caecis et muto demonio ita sequitur: et circuibat Iesus ciuitates omnes et castella docens in synagogis eorum et praedicans euangelium regni et curans omnem languorem et omnem infirmitatem. uidens autem turbas misertus est eis, quia erant uexati et iacentes sicut ones non habentes pastorem. tunc dicit discipulis suis: messis quidem multa, operarii autem pauci; rogate ergo dominum messis, ut eiciat operarios in messem suam. et conuocatis duodecim discipulis suis dedit illis potestatem spirituum inmundorum, et cetera usque ad illud ubi ait: amen dico uobis, non perdet mercedem suam. in hoc toto loco, quem nunc commemorauimus, multa monuit discipulos suos, sed utrum ex ordine Mattheus subiunxerit, an ei ordo narrandi recordatio sua fuerit, sicut dictum est, non apparet. hunc locum breuiter uidetur perstrinxisse Marcus et eum sic ingressus est dicens: et circuibat castella in circuitu docens. et conuocauit duodecim et coepit eos mittere binos, et dabat illis potestatem spirituum inmundorum, et cetera usque ad illud ubi ait: excutite puluerem de pedibus uestris in testimonium illis. sed antequam hoc narraret Marcus, prius post resuscitatam filiam archisynagogi illud narrauit ubi dominum in patria sua mirabantur, unde illi esset tanta sapientia et uirtutes, cum eius cognationem nossent, quod Mattheus post admonitionem istam discipulorum et post alia multa commemorat. itaque incertum est, utrum hoc, quod agitur in eius patria, Mattheus omissum reuocauerit, an Marcus recordatum anteceperit, quisnam eorum ordinem rei gestae et quis recordationis suae tenuerit. Lucas autem con-

tinuo post resurrectionem filiae Iahiri subiungit hunc locum de potestate et admonitione discipulorum. tam breuiter sane quam Marcus, neque ipse ita, ut hoc sequi etiam in rerum gestarum ordine appareat. in nominibus ergo discipulorum Lucas, qui eos alio nomine nominat, cum prius eliguntur in monte, a Mattheo non discrepat nisi in nomine Iudae Iacobi, quem Mattheus Thaddeum appellat, nonnulli autem codices habent Lebdeum. quis autem umquam prohibuerit duobus uel tribus nominibus hominem unum uocari?

Solet item quaeri, quomodo Mattheus et Lucas commemorauerint dixisse dominum discipulis, ut nec uirgam ferrent, cum dicat Marcus: et praecepit eis, ne quid tollerent in uia nisi uirgam tantum, et sequatur etiam ipse: non peram, non panem, neque in zona aes, ut ostendat in eodem loco uersari narrationem suam, in quo et illorum qui dixerunt nec uirgam ferendam. quod ita soluitur, ut intellegamus sub alia significatione dictam uirgam, quae secundum Marcum ferenda est, et sub alia illam, quae secundum Mattheum et Lucam non est ferenda, sicut sub alia significatione intellegitur temtatio, de qua dictum est: deus neminem temtat, et sub alia, de qua dictum est: temtat uos dominus deus uester, ut sciat, si diligitis eum. illa seductionis est, haec probationis, sicut iudicium aliter accipitur, de quo dictum est: qui bene fecerunt, in resurrectionem uitae; qui male fecerunt, in resurrectionem iudicii, et aliter, de quo dictum est: iudica me, deus, et discerne causam meam de gente non sancta. illud enim iudicium damnationis est, hoc discretionis.

Et multa alia sunt uerba, quae non habent unam significationem, sed diuersis locis congruenter posita diuerso modo intelleguntur et aliquando cum expositione dicuntur, ut est illud: nolite pueri effici sensibus, sed malitia paruuli estote, ut sensibus perfecti sitis. hoc enim breuiter clausa sententia dici potuit nolite esse pueri, sed estote pueri\'. et illud: si quis putat se sapientem esse in uobis in hoc saeculo, stultus fiat, ut sit sapiens. quid enim aliud dixit quam non sit sapiens, ut sit sapiens\'? aliquando autem clause ita dicuntur, ut exerceant inquirentem, ut est quod ait ad Galatas: inuicem onera uestra portate et sic adimplebitis legem Christi. qui enim putat se esse aliquid, cum nihil sit, se ipsum seducit. opus autem suum probet unusquisque et tunc in semet ipso habebit gloriam et non in altero. unusquisque enim proprium onus portabit. nisi oneris nomen sub diuersis significationibus acceperis, procul dubio putabis eundem sibi in loquendo esse contrarium — et hoc in una sententia tam uicine positis uerbis —, qui cum paulo ante diceret: alter alterius onera portate, postea dixit: unusquisque proprium onus portabit. sed alia sunt onera participandae infirmitatis, alia reddendae rationis deo de actibus nostris; illa cum fratribus sustentanda communicantur, haec propria ab unoquoque portantur. ita et uirga intellegitur spiritaliter, de qua dicebat apostolus: in uirga ueniam ad uos? et corporaliter, qua utimur siue ad equum siue ad aliquid aliud opus fuerit, ut interim omittam et alias huius nominis figuratas significationes.

Utrumque ergo accipiendum est a domino apostolis dictum, et ut nec uirgam ferrent et ut nonnisi uirgam ferrent cum enim secundum Mattheum diceret eis: nolite possidere aurum neque argentum neque pecuniam in zonis uestris, non peram in uia neque duas tunicas neque calciamenta neque uirgam, continuo subiecit: dignus est enim operarius cibo

suo. unde satis ostendit, cur eos haec possidere ac ferre noluerit, non quod necessaria non sint sustentationi huius uitae, sed quia sic eos mittebat, ut eis haec deberi demonstraret ab illis ipsis quibus euangelium credentibus adnuntiarent, tamquam stipendia militantibus, tamquam fructum uineae plantatoribus, tamquam lac gregis pastoribus. unde Paulus dicit: quis militat suis stipendiis umquam? quis plantat uineam et de fructu eius non edit? quis pascit gregem et de lacte gregis non percipit? hinc enim loquebatur de his quae necessaria sunt praedicatoribus euangelii. unde paulo post dicit: si nos uobis spiritalia seminauimus, magnum est, si uestra carnalia metemus? si alii potestatis uestrae participantur, non multo magis nos? sed non sumus usi hac potestate. unde apparet haec non ita praecepisse dominum, tamquam euangelistae uiuere aliunde non debeant quam eis praebentibus quibus adnuntiant euangelium — alicquin contra hoc praeceptum fecit idem apostolus, qui uictum de manuum suarum laboribus transigebat, ne cuiquam grauis esset —, sed potestatem dedisse, in qua scirent sibi ista deberi. cum autem a domino aliquid imperatur, nisi fiat, inobaudientiae culpa est. cum autem potestas datur, licet cuique non uti et tamquam de suo iure cedere. haec ergo loquens dominus discipulis id agebat, quod ipse apostolus paulo post apertius ita explicat: nescitis, quoniam qui in templo operantur quae de templo sunt edunt? qui altario deseruiunt altario conpartiuntur? sic et dominus ordinauit his qui euangelium adnuntiant de euangelio uiuere. ego autem nullius horum usus sum. cum itaque dicit ita dominum ordinasse, se autem usum non esse, utique ostendit utendi potestatem datam, non inpositam seruiendi necessitatem.

Hoc ergo ordinans dominus, quod eum ordinasse dicit apostolus qui euangelium adnuntiant de euangelio uiuere, illa apostolis loquebatur, ut securi non possiderent neque portarent huic uitae necessaria nec magna nec minima. ideo posuit nec uirgam ostendens a fidelibus suis omnia deberi ministris suis nulla superflua requirentibus. ac per hoc addendo dignus est enim operarius cibo suo prorsus aperuit et inlustrauit, unde et quare haec omnia loqueretur. hanc ergo potestatem uirgae nomine significauit, cum dixit: ne quid tollerent in uia nisi uirgam tantum. potuit enim etiam sic breuiter dici \'nihil necessariorum uobiscum feratis nec uirgam nisi uirgam tantum\', ut illud quod dictum est nec uirgam intellegatur \'ne minimas quidem res\', quod uero adiunctum est nisi uirgam tantum intellegatur, quia per potestatem a domino acceptam, quae uirgae nomine significata est, etiam quae non portantur non deerunt. utrumque ergo dominus dixit. sed quia non utrumque unus euangelista commemorauit, putatur ille qui uirgam sub alia significatione positam tollendam dixit ei qui rursus uirgam aliud significantem non tollendam dixit esse contrarius; sed iam ratione reddita non putetur.

Sic et calciamenta cum dicit Mattheus in uia non esse portanda, curam prohibet, qua ideo portanda cogitantur, ne desint. hoc et de duabus tunicis intellegendum est, ne quisquam eorum praeter eam quam esset indutus aliam portandam putaret sollicitus, ne opus esset, cum ex illa potestate posset accipere. proinde Marcus dicendo calciari eos sandaliis uel soleis aliquid hoc calciamentum mysticae significationis habere admonet, ut pes neque tectus sit neque nudus ad terram, id est nec occultetur euangelium nec terrenis commodis innitatur. et quod non portari uel haberi duas tunicas, sed expressius indui prohibet di-

cens: et ne induerentur duabus tunicis, quid eos monet nisi non dupliciter, sed simpliciter ambulare?

Ita dominum omnia dixisse nullo modo dubitandum est, partim proprie, partim figurate, sed euangelistas alia illum, alia istum inseruisse scriptis suis, quaedam uero eadem uel duos uel tres eorum quoslibet uel omnes quattuor posuisse, nec sic tamen omnia esse conscripta quae ab illo seu dicta seu facta sunt. quisquis autem putat non potuisse dominum in uno sermone quaedam figurate, quaedam proprie ponere eloquia, cetera eius inspiciat; uidebit, quam hoc temere adque inerudite arbitretur. potest enim iste — ut unum aliquid dicam quod animo interim occurrit —, quoniam monet, ut non sciat sinistra quod facit dextra, et ipsas elemosynas et quidquid illic aliud praecipit figurate accipiendum putare.

Sane rursns admoneo, quod oportet meminisse lectorem, ne tali admonitione saepissime indigeat, aliis adque aliis sermonum suorum locis dominum iam multa iterasse quae alibi dixerat, ne forte ipsorum locorum ordo cum ex alio euangelista non conuenerit, alicui eorum hinc putet esse contrarium, cum intellegere debeat iterum alibi dici quod iam alibi dictum erat, nec tantum de dictis, uerum etiam de factis obseruari debere. nihil enim prohibet hoc idem iterum factum credere. calumniari autem euangelio, dum non credit iterum factum quod iterum fieri non potuisse nemo conuincit, sacrilegae uanitatis est.

Sequitur Mattheus et dicit: et factum est, cum consummasset Iesus praecipiens duodecim discipulis suis transiit inde, ut doceret et praedicaret in ciuitatatibus eorum. Iohannes autem, cum audisset in uinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis ait illi: tu es qui uenturus es an alium expectamus? et cetera usque ad illud ubi ait: et iustificata est sapientia a filiis suis. hunc totum locum de Iohanne baptista, quod miserit ad Iesum et cuiusmodi responsum acceperint illi quos misit et quidquid post eorum abscessum de Iohanne dominus dixit, interponit et Lucas, non quidem ipso ordine, sed quis eorum recordationis suae, quis rerum ipsarum hic ordinem teneat, non apparet.

XXXII. Sequitur Mattheus et dicit: tunc coepit erprobrare ciuitatibus, in quibus factae sunt plurimae uirtutes eius, quia non egissent paenitentiam, et cetera usque ad illud ubi ait: terrae Sodomorum remissius erit in die iudicii quam tibi. etiam hoc commemorat Lucas continuato cuidam sermoni domini etiam haec ex ipsius ore coniungens. unde magis uidetur ipse hoc ordine illa commemorare, quo a domino dicta sunt, Mattheus autem suae recordationis ordinem tenuisse. aut si illud quod idem Mattheus ait: tunc coepit exprobrare ciuitatibus, sic accipiendum putatur, ut punctum ipsum temporis uoluisse credatur exprimere in eo quod est tunc, non autem ipsum tempus aliquanto latius quo haec multa gerebantur et dicebantur, quisquis hoc credit, credat etiam hoc esse bis dictum. cum enim et aput unum euangelistam inueniantur quaedam quae bis dixerit dominus, sicut aput eundem Lucam de non tollenda pera in uia et similiter ceteris duobus locis dictum a domino inuenitur, quid mirum si et aliquid aliud bis dictum singillatim a singulis dicitur eodem ordine, quo dictum est, et ideo diuersus ordo apparet in singulis, quia et tunc quando ille et tunc quando iste commemorat dictum est?

Sequitur Mattheus: in illo tempore respondens Iesus dixit: confiteor tibi, pater, domine caeli et terrae, quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus, et cetera usque ad illud ubi ait: iugum enim meum suaue est et onus meum leue. huius loci et Lucas meminit, sed ex parte. non dicit enim ipse: uenite ad me omnes qui laboratis, et alia quae sequuntur, semel autem hoc dictum a domino, sed Lucam non totum quod dictum est commemorasse credibile est. Mattheus enim dicit: in illo tempore respondens Iesus dixit, posteaquam eiprobraui ciuitatibus; Lucas autem post illam exprobrationem . ciuitatium interponit quaedam, non tamen multa, adque hoc ita subiungit: in ipsa hora exultauit spiritu sancto et dixit. unde etiam si Mattheus non in illo tempore diceret, sed in ipsa hora, tam pauca interponit Lucas in medio, ut etiam eadem hora dictum non absurde uideatur.

Sequitur Mattheus et dicit: in illo tempore abut Iesus sabbato per sata, discipuli autem eius esurientes coeperunt uellere spicas et manducare, et cetera usque ad illud ubi ait: dominus est enim filius hominis etiam sabbati. hoc quoque sine ulla repugnantiae quaestione commemoratur et a Marco et a Luca, sed illi non dicunt in illo tempore. unde fortassis magis Mattheus rei gestae hic ordinem tenuit, illi autem recordationis suae, nisi latius accipitur quod dictum est illo tempore, id est quo haec multa et diuersa gerebantur.

XXXV. Sequitur ergo Mattbeus ita narrans: et cum inde transisset, uenit in synagogam eorum. et ecce homo manum habens aridam, et cetera usque ad illud ubi ait: et restituta est sanitati sicut altera. de isto sanato, qui manum habebat aridam, etiam Marcus et Lucas non tacent. posset autem putari eo die factum et de spicis et de isto sanato, quoniam sabbatum et hic commemoratur, nisi Lucas aperuisset alio sabbato factum fuisse de sanitate aridae manus. proinde quod ait Mattheus: et cum inde transisset, uenit in synagogam eorum, non quidem uenit nisi cum inde transisset, sed post quot dies in synagogam eorum uenerit, posteaquam a segete illa transiit, an recta continuoque illuc ierit, non expressum est. ac per hoc locus datur narrationi Lucae, qui dicit alio sabbato huius manum sanatam. sed potest mouere, quomodo Mattheus dixerit, quod ipsi interrogauerant dominum, si licet sabbato curare, uolentes inuenire accusandi occasionem, ipse uero illis de oue proposuerit similitudinem dicens: quis erit ex uobis homo qui habeat ouem unam, et si ceciderit haec sabbatis in foueam, nonne tenebit et leuabit eam? quanto melior est homo oue? itaque licet sabbatis bene facere, cum Marcus et Lucas illos potius a domino interrogatos esse perhibeant: licet sabbato bene facere an male? animam saluam facere an perdere? itaque intellegendum est quod illi prius interrogauerint dominum, si licet sabbato curare, deinde quod intellegens cogitationes eorum aditum accusandi quaerentium constituerit in medio illum quem fuerat sanaturus et interrogauerit quae Marcus et Lucas eum interrogasse commemorant, ac tunc illis tacentibus proposuisse similitudinem de oue et conclusisse, quod liceat sabbato bene facere,. postremo circumspectis eis cum ira, sicut Marcus dicit, contristatum super caecitate cordis eorum dixisse homini: extende manum tuam.

Sequitur Mattheus ita contexens narrationem suam: euntes autem Pharisaei consilium faciebant aduersus eum, quomodo eum perderent.

Iesus autem sciens recessit inde et secuti sunt eum multi et curauit eos omnes et praecepit eis, ne manifestum eum facerent, ut adimpleretur quod dictum est per Esaiam prophetam dicentem, et cetera usque ad illud quod ait: et in nomine eius gentes sperabunt. hoc solus iste commemorat, illi duo in alia perrexerunt. ordinem sane rei gestae uidetur Marcus aliquantulum tenuisse, qui dicit Iesum cognita maligna aduersum se dispositione Iudaeorum secessisse ad mare cum discipulis suis et ad eum turbas confluxisse, sanasse eum plurimos. unde autem coeperit in aliud ire, non quod ordine sequeretur, uix apparet, utrum ubi dicit conuenisse ad eum turbas -potuit enim hoc iam et alio tempore — an ubi dicit: ascendit in montem. quod et Lucas uidetur commemorare dicens: factum est autem in illis -diebus, exiit in montem orare; dicendo enim in illis diebus satis ostendit non continuo factum.

XXXVII. Mattheus ergo sequitur et dicit: tunc oblatus est ei demonium habens caecus et mutus et curauit eum ita ut loqueretur et uideret. hoc non isto ordine. sed post alia multa Lucas commemorat et mutum dicit tantum. non etiam caecum. sed non ex eo quod aliquid tacet de alio dicere putandus est, ea enim sequentia etiam ipse contexit quae Mattheus.

XXXVIII. Sequitur Mattheus dicens: et stupebant omnes turbae et dicebant: numquid hic est filius Dauid? Pharisaei autem audientes dixerunt: hic non eicit demones nisi in Belzebul principe demoniorum. Iesus autem sciens cogitationes eorum dixit eis: omne regnum diuisum contra se desolabitur, et cetera usque ad illud ubi ait: ex uerbis tuis iustificaberis et ex uerbis tuis condemnaberis. Marcus non ex occasione illius muti subicit dictum de Iesu quod in Belzebul eicit demonia, sed post alia quaedam quae solus commemorat hoc quoque subnectit, siue alio loco id recolens et adiungens, siue aliquid praetermittens et deinde ad hunc ordinem rediens. Lucas autem paene totidem uerbis hoc dicit quod Mattheus, et quod digitum dei appellat spiritum dei, ab eadem sententia non recedit, quin potius et aliquid docet, ut nouerimus, quemadmodum intellegamus ubicumque scripturarum legerimus digitum dei. in aliis autem quae non hic dicunt Marcus et Lucas nulla contrauersia est, nec in his quae aliquanto aliter dicunt, quia eadem sententia est.

SequiturMattheus et dicit: tunc responderunt ei quidam de scribis et Pharisaeis dicentes: magister, uolumus a te signum uidere, et cetera usque ad illud ubi ait sic erit et generationi huic pessimae. haec etiam Lucas narrat eo quidem loco, sed aliquanto dispari ordine. nam illud quod petierunt signum a domino de caelo supra commemorauit post illud de muto miraculum et non ibi rettulit, quid eis ad hoc dominus respondisset, sed postea cum turbae concurrissent, dicit hoc fuisse responsum eis quos dat intellegi superius a se commemoratos, quod de caelo signum quaerebant; et hoc adnectit, posteaquam interposuit de muliere, quae dixit domino: beatus uenter, qui te portauit. hanc autem mulierem interponit, cum de sermone domini commemorasset, quod spiritus inmundus exiens ab homine redit et inuenit mundatam domum. post mulierem ergo illam, cum diceret responsum esse turbis de signo, quod de caelo quaerebant, interposita similitudine Ionae prophetae. deinde continuato sermone ipsius domini, commemorat dictum de regina Austri et de Nineuitis. ita aliquid potius commemorauit quod Mattheus tacuit quam aliquid praetermisit eorum quae hoc loco ille narrauit. quis autem non uideat superfluo quaeri, quo illa ordine dominus dixerit, cum

et hoc discere debeamus per euangelistarum excellentissimam auctoritatem non esse mendacium, si quisquam non hoc ordine cuiusquam sermonem digesserit quo ille a quo processit, cum ipsius ordinis nihil intersit ad rem, siue ita siue ita sit? et adhuc Lucas productiorem hunc domini sermonem indicat et in eo quaedam commemorat, qualia Mattheus in sermone illo, qui est habitus in monte, quae bis dicta intellegimus, et ibi scilicet et hic. terminato autem isto sermone in aliud pergit Lucas, in quo utrum ordinem rerum gestarum seruarit incertum est. ita enim conectit: et cum loqueretur, rogauit eum quidam Pharisaeus, ut pranderet aput se. non autem ait (cum haec loqueretur\', sed cum loqueretur. nam si dixisset (cum haec loqueretur\', necessario cogeret intellegere hoc ordine non tantum a se fuisse narrata, uerum et a domino gesta.

Sequitur ergo Mattheus et dicit: adhuc eo loquente ad turbas ecce mater eius et fratres stabant foris quaerentes loqui ei, et cetera usque ad illud ubi ait: quicumque enim fecerit uoluntatem patris mei qui in caelis est, ipse meus et frater et soror et mater est. hoc sine dubio consequenter gestum intellegere debemus. praemisit enim, cum ad hoc narrandum transiret, adhuc eo loquente ad turbas. quid est autem adhuc nisi illud quod loquebatur? non enim dixit \'et eo loquente ad turbas ecce mater eius et fratres). sed adhuc eo loquente cum dicit, cogit intellegi \'haec loquente quae superius indicabat. nam et Marcus post illud quod de blasphemia spiritus sancti quid dominus dixerit rettulit: et ueniunt, inquit, mater eius et fratres praetermissis quibusdam, quae in eodem textu sermonis domini et Mattheus prolixius Marco et Lucas prolixius Mattheo posuerunt. Lucas autem non huius rei gestae ordinem tenuit, sed praeoccupauit hoc et recordatum ante narrauit. denique hoc sic interposuit, ut solutum appareat a nexu et superiorum et posteriorum. post commemoratas enim quasdam parabolas domini ita hoc de matre et fratribus eius recordatum interposuit: uenerunt autem ad illum, inquit, et mater eius et fratres eius et non poterant adire ad eum prae turba — non expressit, quando ad eum uenerint —, rursus cum et hinc transit, ita loquitur: factum est autem, inquit, in una dierum et ipse ascendit in nauiculam et discipuli eius. et hic utique cum dicit: factum est in una dierum, satis indicat non necesse esse, ut haec dies intellegatur, in qua hoc gestum est, uel illa, quae continuo sequitur. nihil itaque habet repugnantiae cum ceteris duobus quod Mattheus de matre et fratribus domini narrat, neque in uerbis domini, neque in ipso ordine rerum gestarum.

XLI. Sequitur Mattheus: in illo die exiens Iesus de domo sedebat secus mare. et congregatae sunt ad eum turbae multae, ita ut in nauiculam ascendens sederet, et omnis turba stabat in litore. et locutus est eis multa in parabolis dicens, et cetera usque ad illud ubi ait: ideo omnis scriba doctus in regno caelorum similis est homini patrifamilias, qui profert de thensauro suo noua et uetera. post illud quod narratum est de matre et fratribus domini hoc continuo gestum esse et eum ordinem Mattheum etiam in narrando tenuisse ea res insinuat, quia, cum illic transiret, ita conexuit, ut diceret: in illo die exiens Iesus de domo sedebat secus mare et congregatae sunt ad eum turbae multae. cum enim dicit in illo die — nisi forte dies more scripturarum tempus significet —, satis indicat aut hoc consequenter gestum aut non multa interponi potuisse, maxime quia et Marcus eum ordinem tenet. Lucas autem post illud quod narrat de matre et fratribus domini in aliud transit nec

eo transitu conexionem aliquam facit, qua huic ordini repugnare uideatur. omnium ergo horum quae Mattheus dominum locutum esse narrauit, quae cum illo dixerunt Marcus et Lucas, non habent repugnantiae quaestionem; quae autem ipse solus dixit multo magis sine contrauersia sunt. nec in ipso ordine, quamuis aliquanto diuersum alius alium teneat partim gestarum rerum partim recordationis suae, uideo quid uel cui quisque aduersetur.

XLII. Sequitur ergo Mattheus: et factum est, cum consummasset Iesus parabolas istas, transiit inde. et ueniens in patriam suam docebat eos in synagogis eorum, et cetera usque ad illud ubi ait: et non fecit ibi uirtutes multas propter incredulitatem illorum. a superiore sermone parabolarum sic transit, ut non ostendat consequentis ordinis necessitatem, praesertim quia Marcus ab istis parabolis, non in quod iste, sed in aliud tendens, in quod et Lucas ita conexuit narrationem, ut credibilius ostendatur hoc esse potius consequenter gestum, quod ipsi duo continuanter adiungunt, de naui scilicet, in qua dormiebat Iesus, et de illo miraculo expulsorum demoniorum aput Gerasenos. quae duo Mattheus iam superius recolens interposuit. nunc ergo quae in patria sua dominus dixerit uel ei dicta sint uideamus utrum cum aliis duobus Marco et Luca concordent. nam Iohannes longe in diuersis et dissimilibus narrationis suae locis uel dicta esse domino talia uel eum dixisse commemorat, qualia hoc- loco tres ceteri meminerunt.

Et Marcus quidem eadem prope commemorat hic omnia quae Mattheus, nisi quod dominum fabrum et Mariae filium dicit a ciuibus suis dictum, non, sicut Mattheus, fabri filium. nec mirandum est, cum utrumque dici potuerit; eo enim et fabrum credebant quo fabri filium. Lucas autem eandem rem gestam latius indicat et plura ibi commemorat; nec longe post baptismum et temtationem eius hoc inserit sine dubio praeoccupans quod multis rebus interpositis postea gestum est. unde quisque possit aduertere, quod huic tam magnae quaestioni, quam de consensu euangelistarum enodandam deo adiuuante suscepimus, plurimum necessarium est, non nescientes aliquid eos praetermisisse aut nescientes, quemadmodum se ordo rerum gestarum haberet, alium potius ordinem suae recordationis tenuisse. quod hinc euidentissime intellegi potest, quia Lucas, antequam aliquid narraret dominum fecisse Capharnaum, praeoccupauit hunc locum, quem nunc consideramus, ubi ciues eius et potentiam uirtutis in eo stupebant et ignobilitatem generis contemnebant. nam hoc eum dicit eis dixisse: utique dicetis mihi: medice, cura te ipsum: quanta audiuimus facta in Capharnaum, fac et hic in patria tua, cum secundum ipsius Lucae narrationem nihil adhuc legatur fecisse Capharnaum. quod quia longum non est et facillimum est et pernecessarium, totum inserimus, unde ad hoc narrandum et quomodo uenerit. posteaquam baptizatum et temtatum dominum indicauit, ita sequitur: et consummata omni temtatione diabolus recessit ab eo usque ad tempus. uet regressus est Iesus in uirtute spiritus in Galilaeam, et fama exiit per uniuersam regionem de illo. et ipse docebat in synagogis eorum et magnificabatur ab omnibus. et uenit Nazareth, ubi erat nutritus, et intrauit secundum consuetudinem suam die sabbati in synagogam et surrexit legere. et traditus est illi liber prophetae Esaiae. et ut reuoluit librum, inuenit locum, ubi scriptum erat: spiritus domini super me, propter quod unxit me, euangelizare pauperibus misit me, praedicare captiuis remissionem et caecis uisum, dimittere confractos in remissionem, praedicare annum domini acceptum et diem

retributionis. et cum plicasset librum, reddidit ministro et sedit. et omnium oculi in synagoga erant intendentes in eum. coepit autem dicere ad illos: quia hodie impleta est haec scriptura in auribus uestris. et omnes testimonium illi dabant et mirabantur in uerbis gratiae, quae procedebant de ore ipsius, et dicebant: nonne hic filius Ioseph? et ait illis: utique dicetis mihi hanc similitudinem: medice, cura te ipsum; quanta audiuimus facta in Capharnaum, fac et hic in patria tua, et cetera, donec peragat totum ipsum narrationis suae locum. quid ergo euidentius quam hoc eum scientem praeoccupasse narrandum, cum utique iam magna ab illo in Capharnaum facta fuisse et ipse nouerit et ipse commemoret quae se nondum narrasse utique scit? neque enim tantum ab eius baptismo progressus est, ut oblitus putetur nondum se aliquid commemorasse de his quae in Capharnaum gesta fuerant; modo enim coepit post baptismum aliquid narrare de domino.

Sequitur Mattheus: in illo tempore audiuit Herodes tetrarcha famam Iesu et ait pueris suis: hic est Iohannes baptista; ipse surrexit a mortuis et ideo uirtutes inoperantur in eo. Marcus hoc idem et eodem modo dicit, sed non eodem ordine. nam posteaquam dicipulos misit dominus dicens eis, ne quid in uia ferrent nisi uirgam tantum, terminato eo sermone, quantum ab illo commemoratum est, etiam hoc subiecit, nulla tamen facta necessitate, qua hoc etiam consequenter gestum esse intellegere cogeremur. sicut nec Mattheus. in illo enim tempore dixit, non \'in illo die\' uel \'hora\', nisi quod Marcus, non quod Herodes dixerit, sed: dicebant, inquit, quia Iohannes baptista resurrexit a mortuis, Mattheus uero de ipso Herode: ait, inquit, pueris suis. Lucas etiam eum narrandi ordinem, quem Marcus, tenens nec ipse sane etiam rerum gestarum eundem ordinem fuisse credi cogens ita hoc idem commemorat: audiuit autem, inquit, Herodes tetrarcha omnia quae fiebant ab eo et haesitabat, eo quod diceretur a quibusdam: quia Iohannes surrexit a mortuis, a quibusdam uero: quia Helias apparuit, ab aliis autem: quia propheta unus de antiquis surrexit. et ait Herodes: Iohannem ego decollaui, quis est autem iste de quo audio ego talia? et quaerebat uidere eum. in his uerbis Lucas quoque Marco adtestatur, ad hoc dumtaxat quod alii dixerint, non Herodes, Iohannem a mortuis resurrexisse. sed quia haesitantem commemorauit Herodem uerbaque eius ita postea posuit dicentis: Iohannem ego decollaui, quis est autem iste de quo audio ego talia? intellegendum est aut post hanc haesitationem confirmasse in animo suo quod ab aliis dicebatur, cum ait pueris suis, sicut Mattheus narrat: et ait pueris suis: hic est Iohannes baptista; ipse surrexit a mortuis et ideo uirtutes inoperantur in eo, aut ita pronuntianda sunt haec uerba, ut haesitantem adhuc indicent. si enim diceret numquidnam hic est?\' aut \'numquid forte hic est Iohannes baptista?\' non opus esset admonere aliquid de pronuntiatione, qua dubitans adque haesitans intellegatur. nunc quia illa uerba desunt, utroque modo pronuntiari potest, ut aut confirmatum eum ex aliorum uerbis. credentem dixisse accipiamus, aut adhuc, sicut Lucas commemorat, haesitantem, praesertim quia et Marcus, qui superius dixerat ab aliis fuisse dictum quod Iohannes a mortuis resurrexerit, in extremo tamen ipsum Herodem dixisse non tacet: quem ego decollaui Iohannem, hic a mortuis resurrexit. quae item uerba duobus modis pronuntiari possunt, ut aut confirmantis aut dubitantis intellegantur. cum autem Lucas, posteaquam hoc commemorauit, in aliud

transeat, duo isti, Mattheus et Marcus, ex hac occasione narrant, quemadmodum sit ab Herode Iohannes occisus.

Sequitur ergo Mattheus et dicit: Herodes enim tenuit Iohannem et alligauit eum et posuit in carcere propter Herodiadem, uxorem fratris sui, et cetera usque ad eum locum, ubi ait: et accedentes discipuli eius tulerunt corpus eius et sepelierunt illud et uenientes nuntiauerunt Iesu. Marcus hoc similiter narrat. Lucas autem non eodem ordine id recordatur, sed circa ipsum baptismum. quo dominus baptizatus est. unde hoc praeoccupasse intellegitur et ipse ex occasione, ut ibi narraret quod multo post factum est. cum enim commemorasset Iohannis uerba de domino, quod uentilabrum in manu eius et mundabit aream suam, frumentum recondet in horreum suum, paleas autem conburet igni inextinguibili, continuo subiecit quod non continuo factum esse Iohannes euangelista apertissime exponit, cum commemorat, posteaquam baptizatus est Iesus, isse illum in Galilaeam, quando fecit de aqua uinum, et inde post paucorum dierum in Capharnaum habitationem redisse ad Iudaeam terram et ibi baptizasse multos circa Iordanen, antequam missus esset Iohannes in carcerem. quis autem non putet qui minus in his litteris eruditus est, tamquam post illa uerba de uentilabro et de area mundata continuo sit a Iohanne offensus Herodes et eum in carcerem miserit? non autem hoc ordine ista narrata quo gesta sunt et alibi iam probauimus et hoc ipso loco non quilibet alius sed idem Lucas hoc probat. si enim post uerba illa continuo Iohannes in carcerem missus est, quomodo post ipsam commemorationem Iohannis in carcerem missi baptizatus est Iesus secundum ipsius Lucae narrationem? proinde manifestum est ex occasione recordatum praeoccupasse et ante multa, quae, priusquam Iohanni hoc fieret, gesta narraturus erat, hoc praeoccupatum in sua narratione praemisisse. sed nec illi duo Mattheus et Marcus eo rerum ordine de Iohanne in carcerem misso in sua narratione posuerunt, quo factum apparet etiam in eorum scriptis. nam et ipsi dixerunt tradito Iohanne dominum isse in Galilaeam, et post multa quae fecit in Galilaea ueniunt ad Herodis admonitionem uel haesitationem, quod Iohannes, quem decollauit, a mortuis resurrexit, et ex hac occasione narrant omnia quae de Iohanne contigerunt incluso et occiso.

Sequitur ergo Mattheus, cum dixisset nuntiatum esse Christo, quod Iohannes occisus est, et ita narrationem contexit: quod cum audisset, inquit, Iesus, secessit inde in nauicula in locum desertum seorsum. et cum audissent turbae, secutae sunt eum pedestres de ciuitatibus. et exiens uidit turbam multam et misertus est eius et curauit languidos eorum. hoc continuo post Iohannis passionem factum esse commemorat. unde post haec facta sunt illa quae primo narrata sunt, quibus motus Herodes dixit: Iohannem ego decollaui. illa enim posteriora debent intellegi, quae ad Herodem pertulit fama, ut moueretur et haesitaret, quisnam iste esse posset, de quo audiret talia, cum Iohannem ipse occidisset. Marcus autem, posteaquam passionem Iohannis narrauit, commemorat discipulos missos redisse ad legum et renuntiasse illi omnia quae egerant et docuerant et dominum eis — quod ipse solus commemorat — dixisse, ut requiescerent pusillum in deserto, et ascendisse cum eis in nauem et isse, et turbas hoc uidentes praeuenisse eos illuc, quarum misertum dominum docuisse multa, et hora iam progrediente factum esse, ut de quinque panibus et duobus piscibus omnes qui aderant pascerentur. quod miraculum omnes quattuor euangelistae commemo-

rauerunt. Lucas etiam, qui iam longe supra de Iohannis passione narrauerat, ex occasione qua diximus nunc, posteaquam commemorauit illam Herodis haesitationem de domino quisnam esset, hoc continuo subiungit quod Marcus, id est redisse ad illum apostolos et narrasse illi quaecumque illi fecerant et adsumtis eis recessisse in locum desertum, adque eo secutas turbas et locutum esse de regno dei et eos qui cura indigebant sanasse. adque inde etiam ipse die declinante commemorat miraculum de quinque panibus factum.

At uero Iohannes, qui multum ab eis tribus euangelistis eo distat, quia magis in sermonibus, quos dominus habuit, inmoratur quam in factis, quae mirabiliter fecit. posteaquam commemorauit eum relicta Iudaea abisse iterum in Galilaeam. quod tunc intellegitur factum, cum et alii euangelistae dicunt eum Iohanne tradito isse in Galilaeam, posteaquam ergo id commemorauit Iohannes, in transitu eius per Samariam multa quae locutus est ex occasione illius Samaritanae, quam inuenit ad puteum, contexit narrationi suae, et post duos dies dicit eum inde exisse in Galilaeam, deinde uenisse in Canan Galilaeae, ubi fecerat de aqua uinum, et sanasse filium reguli cuiusdam. alia uero quae illum in Galilaea fecisse adque dixisse alii dixerunt Iohannes tacet; sed sane, quod illi tacuerunt, dicit ascendisse eum in die festo Hierosolymis et fecisse ibi miraculum illud de homine, qui triginta octo annos habebat in infirmitate nec habebat hominem, a quo in piscinam deponeretur, in qua uariis ualetudinibus affecti sanabantur, et ex hac occasione multa eum locutum fuisse commemorat. post haec eum dicit abisse trans mare Galilaeae, quod est Tiberiadis, et secutam multitudinem magnam, deinde abisse in montem et ibi sedisse cum discipulis suis proximo pascha die festo Iudaeorum, tunc leuatis oculis et uisa multitudine maxima pauisse eam de panibus quinque et duobus piscibus, quod et ceteri euangelistae dicunt. ac per hoc praetermisisse illum quae illi narrando ad huius miraculi commemorationem uenerunt certum est; uerum tamen tamquam ex alia narrationis uia, cum et illi tacuissent quae iste dixisset, ad hoc miraculum de panibus quinque occurrerunt sibi et illi tres qui paene pariter ambulabant et iste qui sermonum domini alta consectans per alia quae illi tacuerunt circumuolauit quodammodo et eis ad miraculum de quinque panibus pariter commemorandum non multo post ab eis rursus in altiora reuolaturus occurrit.

XLVI. Sequitur ergo Mattheus et ad ipsum de quinque panibus factum narrationem suam ex ordine ita perducit: uespere autem facto accesserunt ad eum discipuli eius dicentes: desertus est locus et hora iam praeteriit; dimitte turbas. ut euntes in castella emant sibi escas. Iesus autem dixit eis: non habent necesse ire, date illis uos manducare, et cetera usque ad illud ubi ait: manducantium autem fuit numerus quinque milia uirorum exceptis mulieribus et paruulis. hoc ergo miraculum, quod omnes quattuor euangelistae commemorant et putantur inter se aliquid discrepare, considerandum adque tractandum est, ut ex hoc etiam ad cetera similia regulae locutionum discantur, quibus tam diuersis eadem tamen sententia retinetur et eadem rerum ueritas custoditur. et inchoanda quidem est consideratio non a Mattheo secundum ordinem euangelistarum, sed a Iohanne potius, a quo ita expressa est ista narratio, ut etiam nomina discipulorum diceret, cum quibus de hac re locutus est dominus. ita enim dicit: cum subleuasset ergo Iesus oculos et uidisset quia multitudo maxima uenit ad eum, dicit ad Philippum: unde ememus panes, ut mandu-

cent hi? hoc autem dicebat temtans eum; ipse enim sciebat, quid esset facturus. respondit ei Philippus: ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, ut unusquisque modicum quid accipiat. dicit ei unus ex discipulis eius, Andreas frater Simonis Petri: est puer unus hic, qui habet quinque panes hordiacios et duos pisces; sed haec quid sunt inter tantos? dixit ergo Iesus: facite homines discumbere. erat autem faenum multum in loco. discubuerunt ergo uiri numero quasi quinque milia. accepit ergo panes Iesus, et cum gratias egisset, distribuit discumbentibus. similiter et ex piscibus quantum uolebant. ut autem impleti sunt, dixit discipulis suis: colligite quae superauerunt fragmenta, ne pereant. collegerunt ergo et impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum ex quinque panibus hordiaciis, quae superfuerunt his qui manducauerunt t.

Non hic quaeritur quod iste dixit. cuiusmodi essent panes; hordiacios enim fuisse non tacuit, quod ceteri tacuerunt. neque hoc quaeritur quod iste non dixit, fuisse ibi etiam praeter quinque milia uirorum mulieres et paruulos, quod dicit Mattheus. et omnino iam certum esse debet et regulariter teneri in talibus quaestionibus neminem moueri oportere, cum ab alio dicitur quod ab alio praetermittitur. sed quaeritur, quomodo ea quae dixerunt uera sint omnia, ne narrationem alterius narrans aliud alter excludat. si enim dominus secundum narrationem Iohannis prospectis turbis quaesiuit a Philippo temtans eum, unde illis escae dari possent, potest mouere, quomodo sit uerum, quod alii narrauerunt, prius dixisse domino discipulos, ut dimitteret turbas, quo possent sibi alimenta emere de proximis locis, quibus ille respondit secundum Mattheum: non habent necesse ire, date eis uos manducare. cui etiam Marcus Lucasque consentiunt tantum hoc praetermittentes quod ait: non habent necesse ire. intellegitur ergo post haec uerba dominum inspexisse multitudinem et dixisse Philippo quod Iohannes commemorat, isti autem praetermiserunt. deinde quod Philippus aput Iohannem respondit, hoc Marcus a discipulis responsum esse commemorat uolens intellegi hoc ex ore ceterorum Philippum respondisse, quamquam et pluralem numerum pro singulari usitatissime ponere potuerunt. quid ergo ait Philippus? ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, ut unusquisque modicum quid accipiat, hoc est dicere quod ait Marcus: euntes ememus ducentis denariis panes et dabimus eis manducare. quod autem commemorat idem Marcus dixisse dominum: quot panes habetis? praetermiserunt ceteri. quod autem Andreas aput Iohannem de quinque panibus et duobus piscibus suggessit. hoc ceteri pluralem numerum pro singulari ponentes ex discipulorum persona rettulerunt. et Lucas quidem responsionem Philippi et responsionem Andreae in unam sententiam constrinxit. quod enim ait: non sunt nobis plus quam quinque panes et duo pisces, Andreae rettulit responsionem; quod uero adiunxit: nisi forte nos eamus et emamus in omnem hanc turbam escas, uidetur ad responsionem Philippi pertinere, nisi quod de ducentis denariis tacuit. quamquam et in ipsius Andreae sententia potest hoc intellegi; cum enim dixisset: est puer unus hic, qui habet quinque hordiacios et duos pisces. adiunxit etiam ipse: sed haec quid sunt inter tantos? hoc est dicere: nisi forte nos eamus et emamus in omnem hanc turbam escas.

Ex qua uniuersa uarietate uerborum, rerum autem sententiarumque concordia satis apparet salubriter nos doceri nihil quaerendum in uerbis nisi loquentium uoluntatem, cui

demonstrandae inuigilare debent omnes ueridici narratores, cum de homine uel de angelo uel de deo aliquid narrant; horum enim uoluntas uerbis promi potest, ne de ipsa inter se aliquid discrepent.

Sane praetermittere non oportet hoc loco intentum et ad cetera quae talia forte occurrerint facere lectorem, quia Lucas dixit quinquagenos iussos esse discumbere, Marcus uero et quinquagenos et centenos. quod hic ideo non mouet, quia unus partem dixit, alter totum. qui enim etiam de centenis rettulit, hoc rettulit quod ille praetermisit; nihil itaque contrarium est. uerum tamen si alius de quinquagenis tantum commemoraret, alius tantum de centenis, ualde uideretur esse contrarium; nec facile dinosceretur utrumque dictum esse, unum autem ab altero, alterum ab altero esse commemoratum: et tamen adtentius consideratum inueniri debuisse quis non fateatur? hoc ideo dixi, quia existunt saepe aliqua eiusmodi, quae parum intendentibus et temere iudicantibus contraria uideantur et non sint.

XLVII. Sequitur Mattheus et dicit: et dimissa turba ascendit in montem solus orare. uespere autem facto solus erat ibi. nauicula autem in medio mari iactabatur fluctibus. erat enim contrarius uentus. quarta autem uigilia noctis uenit ad eos ambulans supra mare. et uidentes eum supra mare ambulantem turbati sunt dicentes: quia phantasma est, et cetera usque ad illud ubi ait: uenerunt et adorauerunt eum dicentes: uere filius dei es. Marcus quoque hoc idem post narratum de panibus quinque miraculum ita sequitur: et cum sero esset, erat nauis in medio mari et ipse solus in terra. et uidens eos laborantes in remigando, erat enim uentus contrarius eis, et cetera. similiter, nisi quod de Petro ambulante super aquas nihil dixit. hoc autem ne moueat praecauendum est quod Marcus dixit de domino, cum ambularet super aquas: et uolebat praeterire eos. quomodo enim hoc intellegere potuerunt, nisi quia in diuersum ibat eos uolen tamquam alienos praeterire, a quibus ita non agnoscebatur, ut phantasma putaretur? quod ad mysticam signi. ficationem referri quis usque adeo tardus est, ut nolit aduertere? sed tamen turbatis et exclamantibus subuenit dicens: fidite, ego sum, nolite timere. quomodo ergo eos uolebat praeterire quos pauentes ita confirmat, nisi quia illa uoluntas praetereundi ad eliciendum illum clamorem ualebat, cui subueniri oportebat!

Iohannes etiam adhuc cum istis aliquantum inmoratur. nam post narratum de quinque panibus miraculum ipse quoque hoc de laborante nauicula et de ambulatione domini super aquas non tacet ita contexens: Iesus ergo cum cognouisset, quia uenturi essent, ut raperent eum et facerent eum regem, fugit iterum in montem ipse solus. ut autem sero factum est, descenderunt discipuli eius ad mare. et cum ascendissent nauem, uenerunt trans mare in Capharnaum. et tenebrae iam factae erant et non uenerat ad eos Iesus. mare autem uento magno flante eisurgebat, et cetera. nihil hic contrarium uideri potest, nisi quod Mattheus dimissis turbis eum dicit ascendisse in montem, ut illic solus oraret, Iohannes autem in monte fuisse, cum easdem turbas de quinque panibus pauit. sed cum et ipse Iohannes dicat post illud miraculum fugisse eum in montem, ne a turbis teneretur, quae eum uolebant regem facere, utique manifestum est, quod de monte in planiora descenderant, quando illi panes turbis ministrati sunt. et ideo non est contrarium, quod ascendit rursus in montem,

sicut et Mattheus et Iohannes dicunt, nisi quod Mattheus dixit: ascendit, Iohannes autem: fugit, quod esset contrarium, si fugiens non ascenderet. nec illud repugnat quod Mattheus dixit: ascendit in montem solus orare, Iohannes autem: cum cognouisset. inquit, quia uenturi essent, ut facerent eum regem, fugit iterum in montem ipse solus. neque enim causae orandi contraria est causa fugiendi, quando quidem et hinc dominus transfigurans in se corpus humilitatis nostrae, ut conforme faceret corpori gloriae suae, id quoque doceat hanc esse nobis magnam causam orandi, quando est causa fugiendi. nec illud aduersum est, quod Mattheus prius eum dixit iussisse discipulos ascendere in nauiculam et praecedere eum trans fretum, donec dimitteret turbas, ac deinde dimissis turbis ascendisse in montem solum orare, Iohannes uero prius eum commemorat fugisse solum in montem ac deinde: ut autem sero factum est, inquit. descenderunt discipuli eius ad mare, et cam ascendissent nauem, et cetera. quis enim non uideat hoc recapitulando Iohannem postea dixisse factum a discipulis quod iam Iesus iusserat, antequam fugisset in montem, sicut solet in sermone ad aliquid praetermissum rediri quodammodo? sed quia ipse reditus maxime in breuitate ac puncto temporis factus non commemoratur, putant plerumque qui audiunt hoc etiam postea factum esse quod postea dicitur. sic etiam quos dixerat ascendisse nauem et uenisse trans mare in Capharnaum dicit ad eos in mari laborantes uenisse dominum ambulantem super aquas, quod utique prius in ipsa nauigatione factum est, qua ueniebant Capharnaum.

Lucas autem post narratum de quinque panibus miraculum pergit in aliud et ab ordine isto digreditur. neque enim aliquid de nauicula illa commemorat et de uia domini super aquas. sed cum dixisset: et manducauerunt omnes et saturati sunt et sublatum est quod superfuit illis fragmentorum cophini duodecim, deinde subiunxit: et factum est, cum solus esset orans, erant cum illo et discipuli et interrogauit eos dicens: quem me dicunt esse turbae? iam deinceps aliud narrans, non quod illi tres, qui dominum ambulantem super aquas uenisse ad nauigantes discipulos rettulerunt. nec ideo putari debet in illo monte, quo eum dixit Mattheus ascendisse, ut solus oraret, dixisse discipulis: quem me dicunt turbae? — Lucas enim uidetur in hoc congruere Mattheo, quia dixit: cum solus esset orans, cum ille dixisset: ascendit in montem solus orare — sed omnino alibi, cum solus oraret et essent cum illo discipuli, hoc interrogauit. solum quippe Lucas fuisse dixit, non sine discipulis, sicut Mattheus et Iohannes, quando ab illo discesserunt, ut praecederent eum trans mare. iste namque apertissime adiunxit: erant cum illo et discipuli. proinde solum dixit sine turbis, quae cum illo non habitabant.

XLVIII. Sequitur Mattheus dicens: et cum transfretassent, uenerunt in terram Gennesar. et cum cognouissent eum uiri loci illius, miserunt in uniuersam regionem illam et obtulerunt ei omnes male habentes, et rogabant eum, ut uel fimbriam uestimenti eius tangerent. et quicumque tetigerunt salui facti sunt. tunc accesserunt ad eum ab Hierosolymis scribae et Pharisaei dicentes: quare discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum? non enim lauant manus suas, cum panem manducant. et cetera usque ad illud ubi ait: non lotis autem manibus manducare non coinquinat hominem. haec et Marcus commemorat sine aliqua repugnantiae quaestione; quidquid enim diuerso modo ab alio dicitur ab eadem sententia non recedit. Iohannes autem ab illa nauicula, ad quam dominus ambulans supra

mare uenit, posteaquam exierunt in terram, more suo in sermonem domini intentus eum ex occasione panis multa praecipueque diuina locutum esse commemorat, postque ipsum sermonem rursus in aliud adque aliud eius narratio sublimiter fertur. nec tamen in eo quod ab istis digreditur aliquid ordini istorum illius in alia transitus aduersatur. quid enim prohibet intellegere et illos esse sanatos a domino, de quibus narrat Mattheus et Marcus, et illis qui eum secuti sunt trans mare haec eum locutum esse quae praedicat Iohannes, quando quidem Capharnaum, quo dicuntur secundum Iohannem transfretasse, iuxta stagnum est Gennesar, ad quam terram secundum Mattheum dicuntur exisse?

Sequitur itaque Mattheus post illum sermonem domini, UDI de non lotis manibus cum Pharisaeis egit, adque ita conserit narrationem, ordinem, quantum ipse transitus indicat, rerum etiam quae consecutae sunt seruans: et egressus, inquit, inde Iesus secessit in partes Tyri et Sidonis. et ecce mulier Chananaea a finibus illis egressa clamauit dicens ei: miserere mei, domine, fili Dauid, filia mea male a demonio uexatur. qui non respondit ei uerbum, et cetera usque ad illud ubi ait: o mulier, magna est fides tua; fiat tibi sicut uis. et sanata est filia eius ex illa hora. hoc de muliere Chananaea etiam Marcus commemorat eundem rerum gestarum ordinem seruans nec afferens aliquam repugnantiae quaestionem. nisi quod in domo dicit fuisse dominum cum ad illum uenit eadem mulier pro filia sua rogans. Mattheus autem posset quidem facile intellegi de domo tacuisse, eandem tamen rem commemorasse, sed quoniam dicit discipulos domino ita suggessisse: dimitte illam, quia clamat post nos, nihil uidetur aliud significare quam post ambulantem dominum mulierem illam deprecatorias uoces emisisse. quomodo ergo in domo, nisi quia intellegendum est dixisse quidem Marcum quod intrauerit, ubi erat Iesus, cum eum praedixisset fuisse in domo? sed quia Mattheus ait: non respondit ei uerbum, dedit agnoscere, quod ambo tacuerunt in eo, silentio egressum fuisse legum de domo illa. adque ita cetera contexuntur, quae iam in nullo discordant. quod enim Marcus commemorat ei dominum respondisse de pane filiorum non mittendo canibus, illis interpositis dictum est quae Mattheus dicta non tacuit, id est quia discipuli rogauerunt eum pro illa et quia respondit non se esse missum nisi ad oues quae perierunt domus lsrahel et quia illa uenit, id est consecuta est, et adorauit eum dicens: adiuua me, tunc deinde dictum est quod euangelistae ambo commemorant.

Sequitur Mattheus ita narrans: et cum transisset inde Iesus, uenit secus mare Galilaeae et ascendens in montem sedebat ibi. et accesserunt ad eum turbae multae habentes secum mutos, caecos, clodos, debiles et alios multos et proiecerunt eos ad pedes eius. et curauit eos, ita ut turbae mirarentur uidentes mutos loquentes, claudos ambulantes, caecos uidentes, et magnificabant deum Israhel. Iesus autem conuocatis discipulis suis dixit: misereor turbae, quia triduum iam perseuerant mecum et non habent quod manducent, et cetera usque ad illud ubi ait: erant autem qui manducauerunt quattuor milia hominum extra paruulos et mulieres. hoc aliud miraculum de septem panibus et paucis piscibus etiam Marcus commemorat eodem paene etiam ordine, nisi quia interponit quod nullus alius dicit de surdo, cui dominus aures aperuit spuens in digitos et dicens: effeta, quod est adaperire.

Hoc sane non ab re fuerit admonere in hoc miraculo de septem panibus quod duo euangelistae Mattheus Marcusque posuerunt, quia si aliquis eorum id dixisset, qui de illis quinque panibus non dixisset. contrarius ceteris putaretur. quis enim non existimaret unum idemque factum esse, non autem integre et ueraciter siue ab illo siue ab aliis siue ab omnibus fuisse narratum, sed aut illum pro quinque panibus septem, dum falleretur, commemorasse aut illos pro septem quinque aut utrosque mentitos uel obliuione deceptos? hoc et de duodecim cophinis et de septem sportis opinaretur quasi contrarium, hoc de quinque milibus et quattuor milibus eorum qui pascerentur. sed quia illi qui miraculum de septem panibus narrauerunt nec illud de quinque tacuerunt, neminem mouet et utrumque factum omnes intellegunt. hoc ideo diximus, ut sicubi simile inuenitur factum a domino, quod in aliquo alteri euangelistae ita repugnare uideatur, ut omnino solui non possit, nihil aliud intellegatur quam utrumque factum esse et aliud ab alio commemoratum, sicut de centenis et quinquagenis discumbentibus commendauimus, quia, si non etiam illud utrumque aput unum inueniremus, contraria singulos dixisse putaremus.

LI. Sequitur Mattheus et dicit: et dimissa turba ascendit in nauiculam et uenit in fines Magedan, et cetera usque ad illud ubi ait: generatio mala et adultera signum quaerit et signum non dabitur ei nisi signum Ionae. hoc iam et alibi dixit idem Mattheus. unde etiam adque etiam retinendum est saepius dominum eadem dixisse, ut quod existente contrario solui non potuerit bis dictum intellegatur. hunc sane ordinem etiam Marcus tenens post illud de septem panibus miraculum hoc idem subicit quod Mattheus, nisi quod Dalmanutha, quod in quibusdam codicibus legitur, non dixit Mattheus, sed Magedan. non autem dubitandum est eundem locum esse sub utroque nomine. nam plerique codices non habent etiam secundum Marcum nisi Magedan. nec illud moueat, quod Marcus non dicit responsum esse quaerentibus signum de caelo, idem quod Mattheus de Iona, sed ait dominum respondisse: signum non dabitur ei. intellegendum est enim quale petebant, hoc est de caelo, praetermisit autem dicere de Iona, quod Mattheus commemorauit.

Sequitur Mattheus: (et relictis illis abiit. et cum uenissent discipuli eius trans fretum, obliti sunt panes accipere. qui dixit illis: intuemini et cauete a fermento Pharisaeorum et Sadducaeorum, et cetera usque ad illud ubi ait: tunc intellexerunt, quia non dixerit cauendum a fermento panum, sed a doctrina Pharisaeorum et Sadducaeorum. haec eadem etiam Marcus et eodem ordine digerit. *

Sequitur Mattheus: uenit autem Iesus in partes Caesareae Philippi et interrogabat discipulos suos dicens: quem me dicunt homines esse filium hominis? at illi dixerunt: alii Iohannem baptistam, alii autem Heliam, alii uero Hieremiam aut unum ex prophetis, et cetera usque ad illud ubi ait: et quodcumque solueris super terram, erit solutum in caelis. hoc eodem paene ordine Marcus narrat, sed interposuit primo de caeco inluminato, quod solus ipse commemorat, de illo qui dixit domino: uideo homines sicut arbores ambulantes. Lucas autem post miraculum illud de quinque panibus hoc recordatur adque inserit, cuius recordationis ordo, sicut supra iam ostendimus. nihil repugnat ordini istorum. sed potest illud mouere quod Lucas dominum interrogasse discipulos suos, quem illum dicerent homines,

tunc dixit, cum esset solus orans et adessent etiam ipsi, porro autem Marcus in uia dicit illos hoc ab eodem interrogatos. sed eum mouet qui numquam orauit in uia.

Iam etiam dixisse me recolo, ne quis arbitretur quod hic Petrus nomen accepit, ubi ait illi: tu es Petrus et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam. non enim accepit hoc nomen, nisi ubi Iohannes commemorat ei dictum esse: tu uocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus. unde nec illo loco, ubi Marcus duodecim discipulos nominatim commemorans dixit appellatos Iacobum et Iohannem filios tonitrui. arbitrandum est nomen accepisse Petrum, quia dixit illic quod inposuerit ei nomen, ut uocaretur Petrus; hoc enim recolendo dixit, non quod tunc factum sit.

Sequitur Mattheus et dicit: tunc praecepit disci- suis suis. ut nemini dicerent, quia ipse esset Iesus Christus. exinde coepit Iesus ostendere discipulis suis, quia oporteret eum ire Hierosolyma et multa. pati a senioribus et scribis, et cetera usque ad illud ubi ait: non sapis ea quae dei sunt, sed ea quae hominum. haec eodem ordine subnectunt Marcus et Lucas; sed Lucas de Petro, quod passioni Christi contradixerit. tacet.

Sequitur Mattheus: tunc esus dixit discipulis suis: si quis uult post me uenire. abneget semet ipsum et tollat crucem suam et sequatur me, et cetera usque ad illud ubi ait: et tunc reddet unicuique secundum opus eius. hoc et Marcus subiungit eundem ordinem seruans; sed ipse non dicit de filio hominis uenturo cum angelis suis, ut reddat unicuique secundum opus suum. commemorat tamen etiam illud dixisse dominum: qui enim me confusus fuerit et mea uerba in generatione ista adultera et peccatrice, et filius hominis confundetur eum, cum uenerit in gloria sua cum angelis sanctis. quod intellegi potest ad eandem sententiam pertinere, qua dixit Mattheus, ut reddat unicuique secundum opus suum. Lucas quoque eadem eodemque ordine adnectit non multum diuerso uerborum modo. eadem tamen sententiarum ueritate simillimus.

LVI. Sequitur Mattheus: amen dico uobis. sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem. donec uideant filium hominis uenientem in regno suo. et post dies sex assumsit Iesus Petrum et Iacobum et Iohannem fratrem eius, et duxit illos in montem excelsum seorsum, et cetera usque ad illud ubi ait: nemini dixeritis uisionem, nisi filius hominis a mortuis resurgat. haec uisio domini in monte coram tribus discipulis, Petro. Iacobo et Iohanne, ubi etiam de caelo illi testimonium paternae uocis perhibitum est, a tribus euangelistis eodem ordine commemoratur et ad easdem omnino sententias; sed cetera secundum ea genera locutionum diuersa sine ulla sententiarum diuersitate, quae multis locis superius demonstrauimus, uideri a legentibus possunt.

Quod autem Marcus post sex dies factum dicit, sicut Mattheus, Lucas autem post octo, non contemnendi sunt, si quos mouet, sed ratione reddita instruendi. dies enim quando enuntiamus dicentes \'post tot dies\\ aliquando non adnumeramus eum, in quo loquimur, et eum, quo res ipsa futura est, quam praenuntiamus uel pollicemur, sed medios, post quos re uera plenos adque integros illud futurum est. hoc fecit Mattheus et Marcus. excepto eo die, quo haec loquebatur Iesus, et illo, quo exhibuit memoratam in monte uisionem. medios

dies intuentes dixerunt post sex dies, quod ille adnumeratis finalibus, id est primo adque ultimo, dixit post octo dies, eo loquendi modo, quo pars pro toto commemoratur.

Item quod Lucas ait de Moyse et Helia: et factum est, dum discederent ab illo, ait Petrus ad Iesum: praeceptor, bonum est nos hic esse, et cetera, non debet putari contrarium ei quod Mattheus Marcusque ita coniunxerunt Petrum hoc suggessisse, quasi adhuc Moyses et Helias cum domino loquerentur. non enim expresserunt, quod tunc. sed tacuerunt potius, quod iste addidit, illis discedentibus hoc Petrum de tribus tabernaculis faciendis domino suggessisse. addidit etiam Lucas intrantibus illis in nubem factam esse uocem de nube. quod illi non dixerunt, sed nec contra dixerunt.

LVII. Sequitur Mattheus: et interrogauerunt eum discipuli dicentes: quid ergo scribae dicunt quod Heliam oportet primum uenire? lla t ille respondens ait eis: Helias quidem uenturus est et restituet omnia: dico autem uobis quia Helias iam uenit, et non cognouerunt eum, sed fecerunt in eo quaecumque uoluerunt. sic et filius hominis passurus est ab eis. tunc intellexerunt discipuli, quia de Iohanne baptista dixisset eis. hoc idem Marcus etiam hunc ordinem seruans commemorauit et in nonnulla diuersitate uerborum. nusquam tamen ab eiusdem sententiae ueritate discessit; sed ipse non addidit intellexisse discipulos, quod Iohannem dominus significasset dicendo, quod Helias iam uenerit.

LVIII. Sequitur Mattheus et dicit: uet cum uenisset ad turbam. accessit ad eum homo genibus prouolutis ante eum dicens: domine, miserere filii mei, quia lunaticus est et male patitur, et cetera usque ad illud ubi ait: hoc autem genus non eicitur nisi per orationem et ieiunium. hoc et Marcus et Lucas eodem etiam ordine memorant sine ulla repugnantiae quaestione.

LVIIII. Sequitur Mattheus dicens: conuersantibus autem eis in Galilaea dixit illis Iesus: filius hominis tradendus est in manibus hominum. et occident eum. et tertio die resurget. et contristati sunt uehementer. hoc eodem ordine Marcus Lucasque commemorant.

Sequitur Mattheus: et cum uenissent Capharnaum.

accesserunt qui didragma accipiebant ad Petrum et dixerunt ei: magister uester non soluet didragma ait: etiam, et cetera usque ad illud ubi ait: inuenies staterem, illum sumens da eis pro me et te. hoc solus iste commemorat, quo interposito eundem ordinem sequitur, in quo cum eo etiam Marcus et Lucas pariter ambulant.

Sequitur ergo idem Mattheus et dicit: in illa hora accesserunt discipuli ad legum dicentes: quis putas maior est in regno caelorum? et aduocans Iesus paruulum statuit eum in medio eorum et dixit: amen dico uobis, nisi conuersi fueritis et efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum caelorum, usque ad illud ubi ait: sic et pater meus caelestis faciet uobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus uestris. ex isto aliquanto prolixiore domini sermone non omnia, sed quaedam Marcus eundem sequens ordinem posuit, quaedam etiam ipse quae Mattheus non dicit inseruit. totus autem sermo, quousque eum considerandum suscepimus, a Petro solo interpellatur quaerente, quotiens fratri debeat ignosci. talia

enim dominus loquebatur, ut satis eluceat etiam hoc quod Petrus interrogauit eique responsum est ad eundem pertinere sermonem. Lucas autem nisi illud de paruulo, quem constituit ante discipulos imitandum, cum de sua magnitudine cogitarent, nihil hoc ordine seruato commemorat. si qua enim alia similiter dixit quae et in isto sermone sunt posita, alibi et ex aliis occasionibus dicta recoluit, sicut Iohannes de remissione peccatorum, quod tenebuntur, si cui tenuerint, et dimittentur, si cui dimiserint, post resurrectionem a domino dictum commemorat, cum Mattheus in hoc sermone dominum hoc dixisse meminerit quod et Petro antea dictum fuisse idem ipse testatur. eadem itaque saepe ac pluribus locis Iesum dixisse. necubi moueamur, si ordo dictorum quibusdam repugnare putabitur, sicut iam totiens commendauimus, meminisse debemus, ne hoc semper admonere necesse sit.

LXII. Sequitur Mattheus ita narrans: et factum est. cum consummasset Iesus sermones istos, migrauit a Galilaea et uenit in fines Iudaeae trans Iordanen. et secutae sunt eum turbae multae, et curauit eos ibi. et accesserunt ad eum Pharisaei temtantes eum et dicentes: si licet homini dimittere uxorem suam quacumque ex causa? et cetera usque ad illud ubi ait: qui potest capere capiat. hoc et Marcus commemorat eundem ordinem tenens. sane uidendum est, ne repugnare uideatur quod idem Marcus a domino dicit interrogatos Pharisaeos, quid eis Moyses praeceperit, adque ita illos interroganti respondisse de permisso sibi libello repudii, cum Mattheus dixerit uerbis domini, quibus ostenderat ex lege deum coniunxisse masculum et feminam et propterea non eos debere ab homine separari, rettulisse responsionem: quid ergo Moyses mandauit dari libellum repudii et dimittere? quibus iterum ait: quoniam Moyses ad duritiam cordis uestri permisit uobis dimittere uxores uestras: ab initio autem non sic fuit. nam et Marcus hanc domini responsionem non tacet, sed posteaquam ei responderunt interroganti de libello repudii.

In quo ordine uel modo uerborum hoc intellegere debemus ad rei ueritatem nihil interesse, utrum domino separationem prohibenti et sententiam suam de lege firmanti ipsi intulerint quaestionem de libello repudii per eundem Moysen sibi permisso, per quem et illud scriptum est quod deus coniunxerit masculum et feminam, an hoc idem illi de praecepto Moysi eos interroganti responderint. nam et uoluntas eius ita se habebat, ut non eis redderet rationem, cur illud Moyses permiserit, nisi prius ipsi hoc commemorassent, quae uoluntas eius ea quam Marcus posuit interrogatione significata est, et illorum uoluntas ipsa erat, ut de auctoritate Moysi, quoniam mandauit dari libellum repudii, tamquam concluderent eum separationem sine dubio uetaturum: hoc enim dicturi etiam temtantes accesserant. quae uoluntas eorum sic expressa est per Mattheum, ut non eos esse commemoraret interrogatos. sed ultro intulisse de mandato Moysi, quo uelut conuincerent dominum separationem coniugum prohibentem. cum ergo uoluntas loquentium, cui debent uerba seruire. ab euangelista utroque monstrata sit, nihil interest, quam diuersus inter ambos fuerit narrandi modus, dum ab eadem ueritate neuter abscederet.

Potest etiam hoc intellegi, quod, sicut dicit Marcus, prius eos de uxore dimittenda interrogantes dominus uicissim interrogarit, quid eis praeceperit Moyses, qui cum respondissent Moysen permisisse libellum repudii scribere et dimittere. respondit eis de ipsa lege

per Moysen data, quomodo deus instituerit coniugium masculi et feminae, dicens ea quae ponit Mattheus, id est: non legistis, quia qui fecit ab initio masculum et feminam fecit eos? et cetera, quibus auditis illi id quod ei primo interroganti responderant repetiuerunt dicentes: quid ergo Moyses mandauit dari libellum repudii et dimittere? tunc Iesum causam ostendisse duritiae cordis ipsorum, quam Marcus breuitatis causa prius ponit. tamquam illi priori, quam Mattheus intermisit, eorum responsioni redditam, nihil deperire iudicans ueritati, quocumque loco eisdem ipsis uerbis quae bis dixerant redderetur, quoniam ipsis uerbis eam reddiderat dominus.

Sequitur Mattheus: tunc oblati sunt ei paruuli, ut manus eis inponeret et oraret. discipuli autem increpabant eis, et cetera usque ad illud ubi ait: multi sunt enim uocati, pauci autem electi. hunc cum Mattheo Marcus ordinem tenuit, sed de conductis operariis ad uineam solus Mattheus interponit. Lucas autem cum commemorasset illud quod eis dixit quaerentibus inter se, quisnam maior esset, adiunxit de illo quem uiderunt eicientem demonia, cum eum non sequeretur; inde iam digreditur ab istis duobus, ubi ait eum firmasse faciem suam, ut iret in Hierusalem, ac post multa interposita occurrit eis rursus ad commemorandum istum diuitem, cui dicitur: uende omnia quae habes, quem nunc isti commemorant ex ordine, quo pariter eunt. nam ibi etiam Lucas de istis paruulis, antequam diuitis faciat mentionem, quemadmodum et isti, non praetermittit. de illo ergo diuite, qui quaerit, quid boni faciat, ut uitam aeternam consequatur, potest uideri distare aliquid, quod secundum Mattheum dicitur: quid- me interrogas de bono? secundum illos autem: quid me dicis bonum? nam quid me interrogas de bono? ad illud magis referri potest quod ait ille quaerens: quid boni faciam? ibi enim et bonum nominauit et interrogatio est, magister autem bone nondum est interrogatio. commodissime ergo intellegitur utrumque dictum: quid me dicis bonum et interrogas me de bono?5

LXIIII. Sequitur Mattheus et dicit: et ascendens Iesus Hierosolyma adsumsit duodecim discipulos secreto et ait illis: ecce ascendimus Hierosolyma, et filius hominis tradetur principibus sacerdotum et scribis, et condemnabunt eum morte et tradent eum gentibus ad deludendum et flagellandum et crucifigendum, et tertia die resurget. tunc accessit ad eum mater filiorum Zebedaei cum filiis suis adorans et petens aliquid ab eo, et cetera usque ad illud ubi ait: sicut filius hominis non uenit ministrari, sed ministrare et dare animam suam redemtionem pro multis. hunc cum illo ordinem etiam Marcus tenet filios Zebedaei perhibens dixisse quod ab eis, non per eos ipsos, sed per matrem dictum esse Mattheus expressit, cum illa eorum uoluntatem attulisset ad dominum. unde magis ipsos quam illam dixisse quod dictum est Marcus breuiter intimauit. denique et dominus et secundum Mattheum et secundum Marcum ipsis potius quam matri respondit. Lucas autem, posteaquam ex eodem ordine commemorauit quae de passione et resurrectione sua duodecim discipulis praedixerit, praetermittit ea quae isti commemorant, post quae interposita occurrerunt ei ad Hierichum. quod autem dixerunt Mattheus et Marcus de principibus gentium, qui dominantur subiectis, non ita futurum inter illos, sed eum qui erit maior etiam seruum aliorum futurum, dicit tale aliquid et Lucas, sed non eo loco, et ordo ipse indicat iterum esse eandem sententiam a domino dictam.

Sequitur Mattheus: et egredientibus eis ab Hiericho secuta est turba multa. et ecce duo caeci sedentes secus uiam audierunt, quia Iesus transiret, et clamauerunt dicentes: domine, miserere nostri, fili Dauid, et cetera usque ad illud ubi ait: et confestim uiderunt et secuti sunt eum. hoc et Marcus commemorat, sed de uno caeco factum. quae ita soluitur quaestio, ut illa soluta est de duobus, qui legionem demonum patiebantur in regione Gerasenorum. nam duorum etiam caecorum, quos modo interposuit, unum fuisse notissimum et in illa ciuitate famosissimum ex hoc etiam satis apparet, quod et nomen eius et patris eius Marcus commemorauit, quod in tot superius sanatis a domino non facile occurrit, nisi cum Iahirum archisynagogum etiam nomine expressit. cuius filiam resuscitauit Iesus. in quo etiam magis iste sensus appareat, quia et ille archisynagogus utique in loco illo nobilis fuit. procul dubio itaque Bartimeus iste Timei filius ex aliqua magna felicitate deiectus notissimae et famosissimae miseriae fuit, quod non. solum caecus, uerum etiam mendicus sedebat. hinc est ergo quod ipsum solum uoluit commemorare Marcus, cuius inluminatio tam claram famam huic miraculo conparauit, quam erat illius nota calamitas.

Lucas uero quamuis omnino eodem modo factum tamen in alio caeco intellegendus est par commemorare miraculum et eiusdem miraculi parem modum. ille quippe hoc factum dicit. cum adpropinquaret Hiericho, at isti, cum egrederetur ab Hiericho. sed nomen ciuitatis et facti similitudo putari suadet semel esse factum, sed euangelistas in hoc sibi aduersari, quod alius dicat, cum adpropinquaret Hiericho, alii, cum egrederetur ab Hiericho, non sane hoc persuadet nisi eis qui procliuius credi uolunt mentiri euangelium quam duo similia similiterque miracula fecisse Iesum. quid autem sit credibilius aut quid potius uerum, et omnis fidelis filius euangelii facillime uidet et omnis contentiosus, saltem cum admonitus fuerit, uel tacendo uel, etiamsi tacere noluerit, cogitando sibi ipse respondet.

LXVI. Sequitur Mattheus et dicit: xet cum adpropinquasset Hierosolymis et uenissent Bethfage ad montem oliueti, tunc Iesus misit duos discipulos dicens eis: ite in castellum, quod contra uos est, et statim inuenietis asinam alligatam et pullum cum ea, et cetera usque ad eum locum, ubi ait: benedictus qui uenit in nomine domini, osanna in altissimis. hoc etiam Marcus narrat eodem ordine custodito. Lucas autem in Hiericho inmoratur quaedam commemorans quae isti praetermiserunt de Zaccheo principe publicanorum et quaedam in parabolis dicta. post haec et ipse occurrit eis ad huius pulli commemorationem, in quo sedit Iesus. nec moueat quod Mattheus et asinam dicit et pullum, ceteri autem de asina tacent. immo etiam recordanda est illa regula, quam de quinquagenis et centenis discumbentibus, cum quinque panibus turbae pascerentur, supra insinuauimus. qua insinuata non deberet hoc iam permouere lectorem, nec si Mattheus ita de pullo tacuisset, quemadmodum illi de asina tacuerunt, ut maxime contrarium putaretur, quod unus asinam dixit, alii pullum asinae; quanto minus moueri oportet, quia unus ita commemorauit asinam, de qua ceteri tacuerunt, ut tamen pullum non taceret, de quo illi dixerunt! ubi ergo utrumque factum potest intellegi, nulla repugnantia est, nec si alius aliud et aliud alius commemoret, quanto minus, ut alius unum, alius utrumque!

Iohannes quoque, cum taceat, quemadmodum dominus discipulos suos ad haec animalia sibi adducenda miserit, interponit tamen breuiter hoc de pullo cum testimonio etiam prophetae, quod Mattheus adhibet. in quo etiam testimonio prophetico aliquantum diuersa euangelistarum locutio ab ea quidem sententia non recedit; sed potest mouere, quod hoc Mattheus sic adhibet, ut asinam dicat commemorasse prophetam. non autem ita se habet uel quod Iohannes interponit uel codices ecclesiastici interpretationis usitatae. cuius rei causa illa mihi uidetur, quod Mattheus Hebraea lingua perhibetur euangelium conscripsisse. manifestum est autem interpretationem illam, quae dicitur Septuaginta, in nonnullis se aliter habere, quam inueniunt in Hebraeo qui eam linguam nouerunt et qui interpretati sunt singuli eosdem libros Hebraeos. huius item distantiae causa si quaeratur, cur tanta auctoritas interpretationis Septuaginta multis in locis distet ab ea ueritate quae in Hebraeis codicibus inuenitur, nihil occurrere probabilius existimo quam illos Septuaginta eo spiritu interpretatos, quo et illa quae interpretabantur dicta fuerant, quod ex ipsa eorum mirabili quae praedicatur consensione firmatum est. ergo et ipsi nonnulla in eloquio uariando et ab eadem uoluntate dei, cuius illa dicta erant et cui uerba seruire debebant, non recedendo nihil aliud demonstrare uoluerunt quam hoc ipsum quod nunc in euangelistarum quattuor concordi quadam diuersitate miramur, qua nobis ostenditur non esse mendacium, si quisquam ita diuerso modo aliquid narret, ut ab eius uoluntate, cui consonandum et consentiendum est, non recedat. quod nosse et moribus utile est propter cauenda et iudicanda mendacia et ipsi fidei, ne putemus quasi consecratis sonis ita muniri ueritatem, tamquam deus nobis quemadmodum ipsam rem, sic uerba, quae propter illam sunt dicenda, commendet, cum potius ita res, quae discenda est, sermonibus, per quos discenda est, praeferatur, ut istos omnino quaerere non deberemus, si eam sine his nosse possemus, sicut illam nouit deus et in ipso angeli eius.

Sequitur Mattheus et dicit: et cum intrasset Hierosolyma, commota est uniuersa ciuitas dicens: quis est hic? populi autem dicebant: hic est Iesus propheta a Nazareth Galilaeae. et intrauit Iesus in templum dei et eiciebat omnes uendentes et ementes in templo, et cetera usque ad eum locum, ubi ait: uos autem fecistis illam speluncam latronum. hoc de turbis uendentium eiectis e templo omnes commemorant, sed Iohannes longe diuerso ordine. nam post testimonium baptistae Iohannis de Iesu, cum eum commemorasset isse in Galilaeam, quando aquam conuertit in uinum, inde post commemorationem paucorum in Capharnaum dierum dicit eum ascendisse in Hierosolymam, cum esset pascha Iudaeorum, et facto flagello de resticulis expulisse de templo uendentes. unde manifestum est non semel, sed iterum hoc esse a domino factum, sed illud primum commemoratum a Iohanne, hoc ultimum a ceteris tribus.

LXVIII. Sequitur Mattheus: wet accesserunt ad eum caeci et claudi in templo et sanauit eos. uidentes autem principes sacerdotum et scribae mirabilia quae fecit et pueros clamantes in templo et dicentes: osanna filio Dauid, indignati sunt et dixerunt ei: audis, quid isti dicant? Iesus autem dicit eis: utique. numquam legistis, quia ex ore infantium et lactantium perfecisti laudem? et relictis illis abiit foras extra ciuitatem in Bethaniam ibique mansit. mane autem reuertens in ciuitatem esuriuit; et uidens fici arborem unam secus uiam uenit

ad eam et nihil inuenit in ea nisi folia tantum, et ait illi: numquam ex te fructus nascatur in sempiternum; et arefacta est continuo ficulnea. et uidentes discipuli mirati sunt dicentes: quomodo continuo aruit? respondens autem Iesus ait eis: amen dico uobis, si habueritis fidem et non haesitaueritis, non solum de ficulnea facietis. sed et si monti huic dixeritis: tolle te et iacta te in . mare, fiet, et omnia, quaecumque petieritis in oratione credentes, accipietis.

Hoc et Marcus consequenter dicit, sed non eundem ordinem tenet. primo enim quod eum in templum Mattheus dixit intrasse et eiecisse uendentes et ementes, non commemorat Marcus, sed circumspectis omnibus. cum iam uespera esset, exisse dicit in Bethaniam cum duodecim, et alia die cum exirent a Bethania esurisse et arbori fici dixisse quod et Mattheus commemorat. et subiungit idem Marcus, quod uenerit Hierosolyma, et cum introisset in templum, eiecit uendentes et ementes. quasi altero die, non primo factum esset. sed quia Mattheus ita conectit: et relictis illis abiit foras extra ciuitatem in Bethaniam, unde mane reuertentem in ciuitatem arbori maledixisse commemorat, probabilius creditur ipse potius tenuisse ordinem temporis de uendentibus et ementibus eiectis de templo. cum enim dicit: et relictis illis abiit foras, quibus relictis intellegi poterit, nisi cum quibus superius loquebatur indignantibus, quod pueri clamarent: osanna filio Dauid? praetermisit ergo Marcus quod primo die factum est, cum intrauit in templum, et recordatum interposuit, cum dixisset, quod non inuenerit aliquid in ficulnea praeter folia, quod secundo die factum est, sicut ambo testantur. miratos autem esse discipulos, quod arbor aruerit, et eis dominum respondisse de fide et de monte in mare transferendo, non ipso secundo die, quo dixit arbori: iam non amplius in aeternum quisquam ex te fructum manducet, sed tertio die dicit. ipso quippe die secundo commemorauit idem Marcus de templo eiectos uendentes, quod primo die factum praetermiserat. ipso ergo secundo die dicit facta uespera egressum de ciuitate, et cum mane transiret, uidisse discipulos ficum aridam factam a radicibus et recordatum Petrum dixisse ei: rabbi, ecce ficus, cui maledixisti, aruit, tunc eum de potentia fidei respondisse, Mattheus autem, tamquam secundo die hoc totum factum sit, id est et dictum arbori: numquam ex te fructus nascatur in sempiternum, et arefactam esse continuo, et uidentibus hoc discipulis adque mirantibus illud de uirtute fidei fuisse responsum. unde intellegitur Marcum quidem secundo die commemorasse quod primo die factum praetermiserat, de templo scilicet eiectos uendentes et ementes, Mattheus uero cum commemorasset quod altero die factum est de arbore maledicta, quando mane reuertebatur a Bethania in ciuitatem. praetermisit ea quae Marcus commemorauit, uenisse illum in ciuitatem et uespere exisse et mane. cum transirent. discipulos arborem aridam fuisse miratos; et ei quod secundo die gestum erat, quo arbor maledicta est, adiunxit illud quod tertio die gestum est, eius ariditatem miratos esse discipulos et de potentia fidei a domino audisse, sic ea coniungens, ut nisi ex Marci narratione cogamur intendere, ubi et quid Mattheus praetermiserit, non possit agnosci. cum ergo dixisset Mattheus: et relictis illis abiit foras extra ciuitatem in Bethaniam ibique mansit. mane autem reuertens in ciuitatem esuriuit; et uidens fici arborem unam secus uiam uenit ad eam et nihil inuenit nisi folia tantum, et ait illi: numquam abs te fructus nascatur in sempiternum; et arefacta est continuo ficulnea,

praetermissis ceteris ad eundem diem pertinentibus adiunxit statim: et uidentes discipuli mirati sunt dicentes: quomodo continuo aruit? quod alio die uiderunt alio die mirati sunt. intellegitur autem non tunc aruisse, quando uiderunt, sed continuo quod maledicta est. neque enim arescentem, sed penitus arefactam uiderunt ac sic eam continuo in uerbo domini aruisse intellexerunt.

LXVIIII. Sequitur Mattheus et dicit: et cum uenisset in templum, accesserunt ad eum docentem principes sacerdotum et seniores populi dicentes: in qua potestate haec facis et quis tibi dedit hanc potestatem? respondens Iesus dixit illis: interrogo uos et ego unum sermonem; quem si dixeritis mihi, et ego uobis dicam, in qua potestate haec faciam. baptismus Iohannis unde erat? et cetera usque ad illud ubi ait: nec ego dico uobis! in qua potestate haec facio..hoc totum et alii duo Marcus et Lucas totidem paene uerbis explicauerunt. nec in ordine inter se uidentur aliquid discrepare nisi, unde superius locutus sum, quod praetermissis quibusdam Mattheus ad alterum diem pertinentibus ita contexit narrationem, ut, nisi aduertatur, possit putari ipsum in secundo die adhuc uersari, Marcum autem in tertio. Lucas uero non quasi ex ordine dies persequens hoc subiunxit, sed cum commemorasset eiectos de templo ementes et uendentes, praeter- > misit quod exibat in Bethaniam et regrediebatur in ciuitatem et quod de ficulnea factum est et quod mirantibus discipulis de fidei uirtute responsum est, adque his praetermissis intulit dicens: et erat docens cottidie in templo. principes autem sacerdotum et scribae et principes plebis quaerebant illum perdere et non inueniebant, quid facerent illi. omnis enim populus suspensus erat audiens illum. et factum est in una dierum, docente illo populum in templo et euangelizante conuenerunt principes sacerdotum et scribae cum senioribus et aiunt dicentes ad illum: dio nobis, in qua potestate haec facis? et cetera quae etiam duo illi commemorant. unde apparet nihil eis etiam ipso ordine repugnare, quando id quod dicit factum in una dierum ea dies intellegitur, in qua id gestum illi etiam rettulerunt.

LXX. Sequitur Mattheus: quid autem uobis uidetur? homo habebat duos filios et accedens ad primum dixit illi: uade hodie operare in uinea mea. ille autem respondens ait: nolo; postea autem paenitentia motus abiit. accedens autem ad alterum dixit similiter. at ille respondens ait: eo, domine; et non iit, et cetera usque ad illud ubi ait: et qui ceciderit super lapidem istum confringetur; super quem uero ceciderit, conteret eum. Marcus et Lucas non commemorant de duobus istis filiis, quibus imperatum est, ut irent adque operarentur hi uinea, sed quod post hoc narrat Mattheus de uinea, quae locata est agricolis, qui persecuti sunt seruos missos ad se et postea dilectum filium occiderunt et eiecerunt extra uineam, etiam illi ambo non tacent eodem ordine custodito, id est posteaquam de baptismo Iohannis interrogati Iudaei se nescire dixerunt et respondit eis: nec ego dico uobis, in qua potestate haec facio.

Nullius hic ergo repugnantiae quaestio nascitur, nisi quod Mattheus, cum dixisset quod dominus interrogauerit Iudaeos: cum uenerit dominus uineae, quid faciet agricolis illis? illos respondisse subiungit adque dixisse: malos male perdet et uineam locabit aliis agricolis, qui reddent ei fructum temporibus suis. quod Marcus non ab ipsis responsum esse com-

memorat, sed dominum hoc consequenter locutum post interrogationem suam ipsum sibi quodammodo respondisse. ita enim dicit: quid ergo faciet dominus uineae? ueniet et perdet colonos et dabit uineam aliis. sed facile potest intellegi uel illorum uocem ita subiunctam, ut non interponeretur \'illi dixerunt\' aut \'illi responderunt\', sed tamen intellegeretur aut ideo responsionem istam domino potius adtributam, quia, cum uerum dixerunt, etiam de illis hoc ipse respondit qui ueritas est.

Sed illud magis mouet, quod Lucas non solum eos hoc respondisse non dicit haec etiam uerba ipse quoque sicut Marcus domino adtribuens, uerum etiam contrariam rettulisse responsionem dicentes: absit. ita enim narrat: quid ergo faciet illis dominus uineae? ueniet et perdet colonos istos et dabit uineam aliis. quo audito dixerunt illi: absit. ille autem aspiciens eos ait: quid est ergo hoc quod scriptum est: lapidem, quem reprobauerunt aedificantes, hic factus est in caput anguli? quomodo ergo secundum Mattheum illi quibus haec loquebatur dixerunt: malos male perdet et uineam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis, cum secundum Lucam talibus uerbis contradixerint dicentes: absit? et reuera quod secutus dominus ait de lapide reprobato ab aedificantibus et facto in capite anguli, ita inlatum est, ut hoc testimonio conuincerentur illi parabolae contradicentes. nam et ipse Mattheus hoc sic commemorat dictum tamquam contradicentibus, cum ait: numquam legistis in scripturis: lapidem. quem reprobauerunt aedificantes, hic factus est in caput anguli? quid est enim numquam legistis, nisi quia hoc responderant quod esset contrarium? hoc et Marcus significat, qui haec ipsa uerba ita refert: nec scripturam hanc legistis: lapidem quem reprobauerunt aedificantes, hic factus est in caput anguli? quae sententia secundum Lucam magis apparet loco suo dicta post illorum contradictionem, qua dixerunt: absit. tantundem enim ualet, sicut hoc etiam ipse ponit: quid est ergo hoc quod scriptum est: lapidem, quem reprobauerunt aedificantes, hic factus est in caput anguli? hanc enim sententiae uoluntatem intimat siue numquam legistis siue nec hoc legistis siue quid est ergo hoc quod scriptum est?

Restat ergo, ut intellegamus in plebe, quae audiebat, quosdam respondisse quod Mattheus commemorat dicens: aiunt illi: malos male perdet et uineam suam locabit aliis agricolis, quosdam uero illud quod Lucas non tacuit, id est absit. his ergo qui illud domino responderant illi alii responderunt absit, sed illorum responsio quibus isti rettulerunt absit, propterea domino tributa est et a Marco et a Luca, quia, sicut dixi, per eos ueritas ipsa locuta est, siue per nescientes, si mali erant, sicut per Caifan. qui nesciens. quid dixerit, cum esset pontifex., prophetauit, siue per scientes ac iam intellegentes adque credentes. ibi enim erat etiam illa multitudo, per quam iam erat impleta prophetia, cum uenienti magna celebritate occurrentes acclamarent: benedictus qui uenit in nomine domini.

Nec moueat, quod idem Mattheus principes sacerdotum et seniores populi dixit accessisse ad dominum et quaesiuisse, in qua potestate haec faceret et quis ei dederit hanc potestatem, quando eos de baptismo Iohannis uicissim interrogauit, unde esset, de caelo an ex hominibus; quibus respondentibus, quod nescirent, ait: nec ego uobis dico, in qua potestate haec facio. inde enim secutus est contextim loquendo et ait: quid autem uobis uide-

tur? homo habebat duos filios, et cetera sine ulla cuiusquam rei uel personae interpositione secundum Mattheum sermo contexitur usque ad hoc quod de locata agricolis uinea commemoratur. potest enim putari omnia eum principibus sacerdotum et senioribus populi locutum fuisse, a quibus fuerat de sua potestate interrogatus. qui utique si temtantes et inimici quaesierant, non in eis possunt intellegi qui crediderant adque illud clarum ex propheta testimonium domino perhibuerant, qui etiam modo respondere potuissent non nescientes, sed credentes: malos male perdet et uineam locabit aliis agricolis. hoc omnino mouere non debet, ut ideo putemus non fuisse credentes in illa multitudine, quae tunc domini parabolas audiebat. tacuit namque idem Mattheus breuitatis causa quod Lucas non tacet, parabolam istam scilicet non ad eos solos dictam qui de potestate interrogauerant, sed ad plebem. sic enim ait: coepit autem dicere ad plebem parabolam hanc: homo plantauit uineam, et cetera. in hac ergo plebe intellegei\\dum est etiam illos esse potuisse qui sic eum audirent, quomodo cui dixerant: benedictus qui uenit in nomine domini, et ipsos uel ex ipsis fuisse qui responderunt: malos male perdet et uineam locabit aliis agricolis. quorum responsionem non solum propterea domino tribuerunt Marcus et Lucas, quod hoc ipse dixisset, quia ueritas est, quae etiam per malos adque nescientes saepe loquitur occulto quodam instinctu mentem hominis mouens non sanctitatis illius merito, sed iure propriae potestatis, uerum etiam quia tales esse potuerunt, ut non frustra in ipso corpore domini. iam sicut membra deputarentur, ut merito eorum uox illi tribueretur cuius membra erant, quia iam baptizauerat plures quam Iohannes et habebat turbas discipulorum, sicut ipsi euangelistae saepe testantur, et unde erant etiam illi quingenti fratres, quibus eum apostolus Paulus post resurrectionem praesentatum esse commemorat, praesertim quia et secundum eundem Mattheum non ita dictum est: aiunt illi: malos male perdet, ut in eo quod positum est illi pluralis numerus accipiendus sit, tamquam eorum fuerit ista responsio qui eum de sua potestate dolose interrogauerant, sed aiunt illi dictum est, id est illi ipsi domino, singulari pronomine, non plurali, quod in codicibus Graecis sine ullo scrupulo ambiguitatis apparet.

Est quidam sermo domini aput euangelistam Iohannem, ubi hoc quod dico facilius possit intellegi. dicebat ergo, inquit, Iesus ad eos qui crediderunt ei Iudaeos: si uos manseritis in sermone meo, uere discipuli mei eritis, et cognoscetis ueritatem, et ueritas liberabit uos. et responderunt ei: semen Abrahae sumus et nemini seruiuimus umquam. quomodo tu dicis: liberi eritis? respondit eis Iesus: amen amen dico uobis. quia omnis qui facit peccatum seruus est peccati; seruus autem non manet in domo in aeternum. filius autem manet in aeternum; si ergo filius uos liberauerit, uere liberi eritis. scio, quia filii Abrahae estis, sed quaeritis me interficere, quia sermo meus non capit in uobis. non utique illis diceret: quaeritis me interficere, qui in eum iam crediderant, quibus dixerat: si uos manseritis in sermone meo, uere discipuli mei eritis; sed quia hoc ad eos dixerat, qui iam in eum crediderant, ea uero multitudo praesens erat, quae plures habebat inimicos, etiam non exprimente euangelista, qui essent qui responderunt. ex hoc ipso, quod responderunt et quod deinde ab illo audire meruerunt, satis apparet, quae uerba quibus sint tribuenda personis. sicut ergo in hac multitudine secundum Iohannem erant qui iam crediderant in legum, erant etiam

qui eum occidere quaerebant, sic in illa, de qua nunc loquimur, erant qui dolose dominum interrogauerant, in qua potestate illa faceret, erant etiam qui non dolose, sed fideliter adclamauerant: benedictus qui uenit in nomine domini. ac per hoc erant qui dicerent: perdet illos et uineam suam locabit aliis. quae uox recte etiam ipsius domini fuisse intellegitur siue propter ueritatem siue propter membrorum eius cum suo capite unitatem. erant etiam qui talia respondentibus dicerent: absit, quia intellegebant in se ipsos esse parabolam dictam.

LXXI. Sequitur Mattheus: et cum audissent principes sacerdotum et Pharisaei parabolas eius, cognouerunt quod de ipsis diceret et quaerentes eum tenere timuerunt turbas, quoniam sicut prophetam eum habebant. et respondens Iesus dixit iterum in parabolis eis dicens: simile factum est regnum caelorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo et misit seruos suos uocare inuitatos ad nuptias, et nolebant uenire, et cetera usque ad illud ubi ait: multi enim sunt uocati, pauci uero electi. parabolam istam de inuitatis ad nuptias solus Mattheus narrat. simile quiddam etiam Lucas commemorat; sed non est hoc, sicut et ordo ipse indicat, quamuis et illud nonnullam similitudinem gerat. quod uero post illam parabolam de uinea et occiso filio patris familias subnectit Mattheus, cognouisse Iudaeos, quod in eos totum dictum fuerit, et insidias coepisse moliri, hoc etiam Marcus Lucasque testantur eundem ordinem retinentes; sed inde ipsi pergunt in aliud ex hoc subiungentes quod et Mattheus post istam quam solus interposuit de nuptiis parabolam ex ordine inseruit.

Sequitur ergo Mattheus: tunc abeuntes Pharisaei consilium inierunt, ut caperent eum in sermone. et mittunt ei discipulos suos cum Herodianis dicentes: magister, scimus, quia uerax es et uiam dei in ueritate doces, et non est tibi cura de aliquo; non enim respicis personam hominum: dic ergo nobis, quid tibi uidetur, licet censum dari Caesari an non? et cetera usque ad illud ubi ait: et audientes turbae mirabantur in doctrina eius. haec duo domini responsa, unum de nummo propter tributum reddendum Caesari, alterum de resurrectione propter illam mulierem, quae septem sibimet succedentibus fratribus nupserat, Marcus et Lucas similiter narrant nec in ordine aliquid discrepant. post parabolam quippe illam de conductoribus uineae et de Iudaeis, in quos dicta est, insidias praeparantibus, quae omnes tres commemorauerunt, praetermittunt hi duo Marcus et Lucas parabolam de inuitatis ad nuptias, quam solus Mattheus interposuit, et cum illo iam sequuntur narrantes haec duo, de tributo Caesaris et de muliere septem singillatim uirorum, eodem prorsus ordine sine aliqua repugnantiae quaestione.

LXXIII. Sequitur ergo Mattheus et dicit: Pharisaei autem audientes, quod silentium inposuisset Sadducaeis, conuenerunt in unum, et interrogauit eum unus ex eis legis doctor temtans eum: magister, quod est mandatum magnum in lege? ait illi Iesus: diliges dominum deum tuum ex toto corde tuo et in tota anima tua et in tota mente tua. hoc est maximum et primum mandatum. secundum autem simile est huic: diliges proximum tuum sicut te ipsum. in his duobus mandatis uniuersa lex pendet et prophetae. hoc et Marcus commemorat eundem ordinem seruans. nec moueat, quod Mattheus dicit temtantem fuisse illum, a quo dominus interrogatus est, Marcus autem hoc tacet et in fine ita concludit, quod ei dominus sapienter respondenti dixerit: non longe es a regno dei. fieri enim potest, ut, quamuis

temtans accesserit, domini tamen responsione correctus sit. aut certe ipsam temtationem non accipiamus malam tamquam decipere uolentis inimicum, sed cautam potius tamquam experiri amplius uolentis ignotum. neque enim frustra scriptum est: qui facile credit leuis corde minorabitur.

Lucas autem non hoc ordine, sed longe alibi tale aliquid interponit. utrum autem hoc recordetur, an alius ille sit, cum quo similiter de duobus istis praeceptis dominus egerit, prorsus incertum est. hinc autem etiam recte uidetur alius esse, non solum propter ordinis multam differentiam, sed quia etiam ipse dicitur respondisse domino interroganti et in sua responsione commemorasse duo ista praecepta; et cum ei dixisset dominus: hoc fac, et uiues, ut illud faceret quod magnum esse in lege ipse responderat, secutus euangelista ait: ille autem uolens se iustificare dixit: et quis est mihi proximus? tunc dominus nan-auit de illo qui descendebat ab Hierusalem in Hierichum et incidit in latrones. unde quia et temtans praedictus est et duo praecepta ipse respondit et post admonitionem domini dicentis: hoc fac, et uiues, non bonus commendatur, cum dicitur de eo: ille autem uolens se iustificare, iste autem quem pari ordine Mattheus Marcusque commemorant tam bene commendatus est, ut ei diceret dominus: non longe es a regno dei, probabilius creditur hunc alium esse, non illum.

Sequitur Mattheus: congregatis autem Pharisaeis interrogauit eos Iesus dicens: quid uobis uidetur de Christo? cuius filius est? dicunt ei: Dauid. ait illis: quomodo ergo Dauid in spiritu uocat eum dominum dicens: dixit dominus domino meo, sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum? si ergo Dauid uocat eum dominum, quomodo filius eius est? et nemo poterat respondere ei uerbum, neque ausus fuit quisquam ex illa die eum amplius interrogare. hoc consequenter et eodem ordine Marcus quoque commemorat. Lucas etiam tantum modo de illo tacet qui interrogauit dominum, quod esset mandatum primum in lege; hoc autem praetermisso eundem etiam ipse ordinem seruat, et hoc de Christo, quomodo sit filius Dauid, quaesisse a Iudaeis dominum pariter narrat. nec interest ad sententiam, quod secundum Mattheum, cum interrogasset Iesus, quid eis uideatur de Christo, cuius esset filius, illi responderunt: Dauid, tum demum intulit, quomodo eum Dauid diceret dominum; secundum illos autem duos, Marcum et Lucam, nec interrogati esse nec respondisse inueniuntur. intellegere enim debemus post eorum responsionem sententiam ipsius domini a duobus euangelistis insinuatam, quomodo ab illo dicta sit, his audientibus quos uolebat suo magisterio utiliter informare et ab scribarum alienare doctrina, qui de Christo illud solum sapiebant, quod secundum carnem factus erat ex semine Dauid, non eum autem intellegebant deum, propter quod erat dominus ipsius Dauid. ideo tamquam de illis errantibus dominus ad istos sermonem faciens quos uolebat ab illorum errore liberari secundum hos duos euangelistas commemoratur, ut quod illis dictum est: quomodo dicitis, sicut Mattheus narrat, sic accipiatur, non tamquam ad illos, sed tamquam de illis ad eos potius dictum sit, quos uolebat instruere.

Sequitur Mattheus ita narrationis ordinem tenens: tunc Iesus locutus est ad turbas et discipulos suos dicens: super cathedram Moysi sederunt scribae et Pharisaei; omnia. ergo

quaecumque dixerint uobis seruate et facite; secundum opera uero eorum nolite facere. dicunt enim et non faciunt, et cetera usque ad illud ubi ait: non me uidebitis amodo, donec dicatis: benedictus qui uenit in nomine domini. similem sermonem habuisse dominum aduersus Pharisaeos et scribas legisque doctores Lucas quoque commemorat, sed in domo cuiusdam Pharisaei, qui eum uocauerat ad conuiuium. quod ut narraret, digressus erat a Mattheo circa illum locum, ubi ambo commemorauerant quod dictum est a domino de signo Ionae trium dierum et noctium et de regina Austri et de Nineuitis et de spiritu inmundo, qui redit et inuenit mundatam domum. post quem sermonem dicit Mattheus: adhuc eo loquente ad turbas ecce mater eius et fratres stabant foris quaerentes loqui ei. Lucas autem in eo sermone domini commemoratis etiam quibusdam quae Mattheus dixisse dominum praetermisit ab ordine, quem cum Mattheo tenuerat, ita digreditur: cum loqueretur, inquit, rogauit illum quidam Pharisaeus, ut pranderet aput se, et ingressus recubuit. Pharisaeus autem coepit intra se reputans dicere, quare non baptizatus esset ante prandium. et ait dominus ad illum: nunc uos Pharisaei quod de foris est calicis et catini mundatis. adque hinc iam cetera in eosdem Pharisaeos et scribas et legis doctores talia dicit qualia Mattheus hoc loco, quem nunc considerandum suscepimus. quamquam ergo ita ista Mattheus commemoret, ut, quamuis domum illius Pharisaei non nominet, non tamen locum exprimat, ubi dicta sint, quo repugnet aliquid illi domui, tamen quia iam uenerat dominus in Hierusalem a Galilaea et post eius aduentum ita superiora usque ad hunc sermonem contexuntur. ut probabiliter accipiantur in Hierusalem gesta, Lucas autem illud narrat, cum adhuc dominus iter ageret in Hierusalem, uidentur mihi similes duo esse sermones, quorum ille alterum. alterum iste narrauit.

Sane considerandum est, quomodo hic dictum sit: non me uidebitis amodo, donec dicatis: benedictus qui uenit in nomine domini, cum secundum eundem Mattheum iam hoc dixerint. et Lucas enim dicit hoc esse responsum a domino illis qui eum monuerant, ut iret inde, quoniam uellet eum Herodes occidere. ibi etiam aduersus ipsam Hierusalem ea prorsus uerba ab illo esse dicta commemorat, quae hic Mattheus. sic enim narratur secundum Lucam: in ipsa die accesserunt quidam Pharisaeorum dicentes illi: exi et uade hinc, quia Herodes uult te occidere. et ait illis: ite, dicite uulpi illi: ecce eicio demonia et sanitates perficio hodie et cras, et tertia consummor. uerum tamen oportet me hodie et cras et sequenti ambulare, quia non capit prophetam perire extra Hierusalem. Hierusalem Hierusalem, quae occidis prophetas et lapidas eos qui mittuntur ad te, quotiens uolui congregare filios tuos quemadmodum au.is nidum suum sub pinnis, et noluisti! ecce relinquetur uobis domus uestra. dico autem uobis, quia non uidebitis me, donec ueniat, cum dicetis: benedictus qui uenit in nomine domini. narrationi quidem huic Lucae non uidetur aduersari, quod turbae dixerunt domino uenienti ad Hierusalem: benedictus qui uenit in nomine domini; secundum quippe Lucae ordinem nondum illuc uenerat et nondum dictum erat. sed quia non dicit, quod inde tunc abscesserit, ut non ueniret nisi eo tempore, quo iam illud diceretur — perseuerat quippe in itinere suo, donec ueniat Hierusalem — adque illud quod ait:ecce eicio demonia et sanitates perficio hodie et cras et tertia consummor, mystice ab illo et figurate dicta intelleguntur — neque enim eo die passus est, qui est ab hoc die tertius, cum

continuo dicat: oportet me hodie et cras et sequenti ambulare —, cogit profecto etiam illud mystice intellegi quod ait: non uidebitis me, donec ueniat, cum dicetis: benedictus qui uenit in nomine domini, de illo suo aduentu, quo in claritate uenturus est, hoc significans, ut illud quod ait: eicio demonia et sanitates perficio hodie et cras et tertia consummor, referatur ad corpus eius, quod est ecclesia. expelluntur enim demonia, cum relictis paternis superstitionibus credunt in eum gentes, et perficiuntur sanitates, cum secundum eius praecepta uiuitur, posteaquam fuerit diabolo et huic saeculo renuntiatum, usque in finem resurrectionis, qua tamquam tertia consummabitur, hoc est ad plenitudinem angelicam per corporis etiam inmortalitatem perficietur ecclesia. quapropter ordo iste Matthei nequaquam putandus est in aliud aliquid esse digressus; sed Lucas magis intellegendus est uel praeoccupasse quae gesta sunt in Hierusalem et recordando interposuisse, antequam eius narratio dominum perduceret Hierusalem, aut eidem ciuitati iam propinquantem talia respondisse monentibus ut caueret Herodem, qualia Mattheus eum dicit etiam turbis locutum, cum iam peruenisset in Hierusalem adque illa omnia peracta essent quae supra narrata sunt.

LXXVI. Sequitur Mattheus et dicit: et egressus Iesus de templo ibat. et accesserunt discipuli eius, ut ostenderent ei aedificationes templi. ipse autem respondens dixit illis: uidetis haec omnia? amen dico uobis, non relinquetur hic lapis super lapidem, qui non destruatur. Marcus etiam commemorat hoc eodem paene ordine post £ t aliquantam digressionem ad hoc factam, ut commemoraret de uidua, quae misit duo minuta in gazophylacio, quod cum eo Lucas solus commemorat. nam etiam secundum Marcum, posteaquam illud dominus egit cum Iudaeis, quomodo acciperent Christum filium Dauid, ea narrantur quae dicit de cauendis Pharisaeis et ypocrisi eorum. quem locum Mattheus latissime persecutus est et plura ibi dicta narrauit. adque ideo post eundem locum, quem breuiter perstrinxit Marcus et copiose digessit Mattheus, nihil amplius Marcus intulit, sicut dixi, quam de illa uidua pauperrima et uberrima ac deinde subiunxit ea quibus Mattheo iterum cohaereret dicens de templi futura euersione., Lucas quoque post illud de Christo, quomodo esset filius Dauid, pauca de cauenda ypocrisi. Pharisaeorum commemorat. inde sicut Marcus pergit ad uiduam, quae duo minuta in gazophylacium misit. deinde subiungit de templi futura euersione quod Mattheus et Marcus.

Sequitur Mattheus dicens: sedente autem eo super montem oliueti accesserunt ad eum discipuli secreto dicentes: dic nobis, quando haec erunt et quod signum aduentus tui et consummationis saeculi? et respondens Iesus dixit eis: uidete, ne quis uos seducat. multi enim uenient in nomine meo dicentes: ego sum Christus, et multos seducent, et cetera usque ad illud ubi ait: et ibunt hi in supplicium aeternum. iusti autem in uitam aeternam. nunc iam istum prolixum sermonem domini secundum tres euangelistas Mattheum. Marcum et Lucam consideremus. eundem quippe tenentes ordinem pariter ista contexunt. dicunt quidem hic aliqua etiam singuli propria, in quibus nulla est repugnantiae metuenda suspicio; de his autem quae, pariter dicunt necubi sibimet aduersari putentur, uidendum est. neque enim dici potest, si aliquid tale occurrerit, aliud esse adque alibi a domino similiter dictum, quando eodem loco rerum ac temporum omnium trium uersatur narratio. sane quod earundem sententiarum a domino dictarum non eundem omnes ordinem seruant, nihil ad

rem pertinet uel intellegendam uel insinuandam, dum ea quae ab illo dicta referuntur non sibimet aduersentur.

Quod ergo Mattheus ait: et praedicabitur hoc euangelium regni in uniuerso orbe in testimonium omnibus gentibus, et tunc ueniet consummatio, etiam Marcus eodem ordine ita commemorat: in omnes gentes primum oportet praedicari euangelium. non dixit: et tunc ueniet consummatio, sed hoc significat quod ait primum, id est et in omnes gentes primum oportet praedicari euangelium, quia illi de fine interrogauerant. cum ergo dicit primum in omnes gentes oportet praedicari euangelium, significat utique primum \'antequam ueniat consummatio.\'

Item quod Mattheus ait: cum ergo uideritis abominationem desolationis, quae dicta est a Danihele propheta, stantem in loco sancto, qui legit intellegat, hoc Marcus ita dicit: cum autem uideritis abominationem desolationis stantem ubi non debet qui legit intellegat. in qua mutatione uerbi exposuit eandem sententiam; ideo quippe ubi non debet, quia in loco sancto non debet. Lucas autem non ait: cum uideritis abominationem desolationis stantem in loco sancto, aut: ubi non debet, sed ait: cum autem uideritis circumdari ab exercitu Hierusalem, tunc scitote, quia adpropinquauit desolatio eius. tunc ergo erit abominatio desolationis in loco sancto.

Quod autem ait Mattheus: tunc qui in Iudaea sunt fugiant in montes, et qui in tecto, non descendat tollere aliquid de domo sua, et qui in agro, non reuertatur tollere tunicam suam, totidem paene uerbis hoc etiam Marcus commemorat. Lucas autem: tunc qui in Iudaea sunt, inquit, fugiant in montes. hoc sicut illi duo, cetera uero aliter. sequitur enim et dicit: qui in medio eius, discedant, et qui in regionibus, non intrent in eam, quia dies ultionis hi sunt, ut impleantur omnia quae scripta sunt. satis diuersum uidetur quod illi dixerunt: et qui super tectum, non descendat tollere aliquid de domo, et quod iste dicit: et qui in medio eius, discedant, nisi forte quia perturbatio magna erit tam magno instante periculo, illi quos inclusisset obsidio, quod significat dicendo: qui in medio eius, in tecto erunt adtoniti et uolentes uidere. quid inpendeat uel qua euadendum sit. sed quomodo ait: discedant, quando supra dixit: cum autem uideritis circumdari ab exercitu Hierusalem? nam illud quod sequitur: qui in regionibus, non intrent in eam, uidetur ad congruam pertinere admonitionem, et potest obseruari, ut qui extra sunt non in eam intrent, qui autem in medio sunt. quomodo discedant ab exercitu iam ciuitate circumdata? an hoc est esse in medio eius, quando iam ita periculum urguebit, ut temporaliter ad praesentem uitam tuendam non possit euadi, et quoniam tunc parata debet esse anima ac libera nec carnalibus desideriis occupata et oppressa, hoc significat quod ab aliis duobus dictum est in tecto uel super tectum, ut quod iste ait discedant, id est non iam huius uitae desiderio capiantur, sed in aliam uitam migrare parati sint, hoc illi duo dixerint: non descendat tollere aliquid de domo, id est nullo affectu inclinetur in carnem tamquam aliquid inde commodi percepturus, et quod iste ait: qui in s regionibus, non intrent in eam, id est qui iam bono cordis proposito extra illam facti sunt non eam rursus carnali cupiditate desiderent, hoc illi dixerint: et qui

in agro est non reuertatur retro tollere uestimentum suum, tamquam iterum inuolui curis, quibus erat exutus?

Quod uero ait Mattheus: IOorate autem, ut non fiat fuga uestra hieme uel sabbato, hinc Marcus partem dixit, partem tacuit: orate uero, inquit, ut hieme non fiant. Lucas hoc non dixit, sed tamen dixit aliquid solus, quo mihi uideatur hanc ipsam, quae ab istis obscure posita est, inlustrasse sententiam. ait enim: attendite autem uobis, ne forte grauentur corda uestra in crapula et ebrietate et curis huius uitae, et superueniat in uos repentina dies illa. tamquam laqueus enim superueniet in omnes qui sedent super faciem orbis terrae. uigilate itaque in omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia quae futura sunt. haec intellegitur fuga, quam Mattheus commemorat, quae non debet fieri hieme uel sabbato. ad hiemem autem pertinent curae huius uitae, quas Lucas aperte posuit, ad sabbatum uero crapula et ebrietas. curae quippe tristes sunt uelut hiems, crapula uero et ebrietas carnali laetitia luxuriaque cor submergit adque obruit, quod malum sabbati nomine propterea significatum est, quia haec erat iam, sicuti et nunc est, Iudaeorum pessima consuetudo illo die deliciis afluere, dum spiritale sabbatum ignorant; aut si aliquid aliud in illis secundum Mattheum et Marcum uerbis intellegendum est, aliquid aliud etiam Lucas dixerit, dum tamen nulla repugnantiae quaestio moueatur. neque enim nunc euangelia exponenda suscepimus, sed a falsitatis uel fallaciae calumniis defendenda. alia uero quae in hoc sermone Mattheus posuit communia cum Marco nihil habent quaestionis, quae autem cum Luca, non in hoc sermone Lucas ea posuit, cuius huic ordo concordat, sed alibi talia uel recordatur adque inserit praeoccupando, ut prius commemoret quae post a domino dicta sunt, uel bis a domino dicta facit intellegi, et nunc secundum Mattheum et tunc secundum ipsum.

LXXVIII. Sequitur Mattheus: xet factum est, cum consummasset Iesus sermones hos omnes, dixit discipulis suis: scitis quia post biduum pascha fiet et filius hominis tradetur, ut crucifigatur. huic adtestantur alii duo Marcus et Lucas ab eodem ordine non recedentes. neque hoc tamquam a domino dictum insinuant; hoc enim intimare praetermiserunt. ex sua tamen persona et Marcus dicit: erat autem pascha et azyma post biduum, et Lucas: adpropinquabat autem dies festus azymorum qui dicitur pascha. sic ergo adpropinquabat, ut esset post biduum, sicut alii duo apertius consonant. Iohannes uero tribus quidem locis commemorauit eiusdem diei festi propinquitatem, cum alia quaedam duobus superioribus locis narraret, tertio autem loco apparet eius narratio circa ipsa uersari tempora, ubi hoc etiam illi tres intimant, id est inpendentis iam dominicae passionis.

Sed hoc uideri potest parum diligenter intuentibus esse contrarium, quod Mattheus et Marcus posteaquam dixerunt pascha post biduum futurum, deinde commemorauerunt, quod erat Iesus in Bethania, ubi de unguento illo pretioso dicitur, Iohannes autem ante sex dies paschae dicit Iesum uenisse in Bethaniam de unguento eadem narraturus. quomodo ergo secundum illos duos post biduum futurum erat pascha, cum posteaquam id dixerunt inueniantur cum Iohanne in Bethania illud de unguento quod ipse narrantes, tunc autem ipse dicat post sex dies futurum pascha? sed qui ita mouentur non intellegunt Mattheum et Mar-

cum illud quod in Bethania de unguento factum erat recapitulando posuisse non post illam de biduo praedicationem suam, sed ante iam factum, cum adhuc sex dies essent ad pascha. non enim quisquam eorum, cum dixisset post biduum futurum pascha. sic adiunxit de illo facto in Bethania, ut diceret \'post haec cum esset Bethaniae\', sed Mattheus quidem: cum autem esset, inquit, Iesus in Bethania, Marcus autem: cum esset Bethaniae. quod utique intellegitur et antequam illa dicerentur quae ante biduum paschae dicta sunt. sicut ergo ex Iohannis narratione colligitur, ante sex dies paschae uenit in Bethaniam, ibi factum est illud conuiuium, ubi de unguento pretioso fit commemoratio, inde uenit Hierosolymam sedens super asellum. deinde postea geruntur ea quae narrant post hunc aduentum eius Hierosolymis gesta. ex illo ergo die, quo uenit in Bethaniam adque illud de unguento factum est, usque ad diem, quo ista omnia gesta adque dicta sunt, intellegimus etiam euangelistis non commemorantibus consumtum fuisse quadriduum, ut occurreret dies, quem ante biduum paschae duo definierunt. Lucas autem cum ait: adpropinquabat dies festus azymorum, non expressit biduum, sed hanc propinquitatem, quam commemorauit, in ipso interuallo bidui debemus accipere. Iohannesuero cum dicit: proximum erat pascha Iudaeorum, non hoc biduum uult intellegi, sed sex dies ante pascha. proinde, cum quaedam post hoc dictum commemorasset, tunc iam uolens ostendere quam proximum fuisse pascha dixisset: Iesus ergo ante sex dies, inquit, paschae uenit in Bethaniam, ubi fuerat Lazarus mortuus, quem suscitauit Iesus. fecerunt autem ei cenam ibi. hoc est illud quod commemorant recapitulantes Mattheus et Marcus, cum iam dixissent post biduum futurum pascha. recapitulando ergo ad illum diem redeunt in Bethania, qui erat ante sex dies paschae, et narrant quod Iohannes de cena et unguento, unde uenturus erat Hierosolymam et peractis illic quae narrata sunt peruenturus ad diem, qui erat ante biduum paschae. unde isti digressi sunt, ut recapitulando commemorarent quod ante in Bethania de unguento gestum est, cuius rei peracta narratione illuc iterum redeunt, unde digressi fuerant, id est ut iam sermo domini narretur, quem habuit ante biduum paschae. nam si tollamus de medio quod gestum in Bethania digredientes ab ordine recolendo et recapitulando narrarunt et ipsum ordinem contexamus, ita sermo dirigitur secundum Mattheum dicente domino: scitis, quia post biduum pascha fiet et filius hominis tradetur, ut crucifigatur. tunc congregati sunt principes sacerdotum et seniores populi in atrium principis sacerdotum, qui dicebatur Caifas, et consilium fecerunt, ut Iesum dolo tenerent et occiderent. dicebant autem: non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo. tunc abiit unus de duodecim, qui dicitur Iudas Scarioth, ad principes sacerdotum, et cetera. inter illud enim quod dictum est: ne tumultus fieret in populo, et illud quod dictum est: tunc abiit unus de duodecim, qui dicitur Iudas, interpositum est illud de Bethania quod recapitulando dixerunt, quo nos praetermisso contexuimus narrationem, ut insinuaremus non repugnare ordinem temporum. secundum Marcum autem eodem Bethaniae conuiuio, quod recapitulando et ipse interposuit, similiter praetermisso ita se ordo narrationis tenet: erat autem pascha et azyma post biduum, et quaerebant summi sacerdotes et scribae, quomodo eum dolo tenerent et occiderent. dicebant enim: non in die festo, ne forte tumultus fieret populi. et Iudas Scarioth, unus ex duodecim, abiit ad summos sacerdotes, ut proderet eum, et cetera. etiam hic inter illud quod dictum est: ne forte tumultus fieret populi, et illud quod adiunximus: et Iudas Scariothes

unus ex duodecim, positum est illud de Bethania quod recapitulando dixerunt. Lucas sane ipsam rem gestam in Bethania praetermisit. haec diximus propter sex dies ante pascha, quod dixit Iohannes, cum in Bethania rem gestam narraret, et biduum ante pascha, quod Mattheus Marcusque dixerunt, cum post hoc a se dictum illud ipsum in Bethania, quod Iohannes, commemorarent.

LXXVIIII. Sequitur Mattheus ab eo loco, ubi finem feceramus considerandae narrationis, et dicit: tunc congregati sunt principes sacerdotum et seniores populi in atrium principis sacerdotum, qui dicebatur Caifas, et consilium fecerunt, ut Iesum dolo tenerent et occiderent. dicebant autem: non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo. cum autem esset Iesus in Bethania in domo Simonis leprosi, accessit ad eum mulier habens alabastrum unguenti pretiosi et effudit super caput ipsius recumbentis, et cetera usque ad illud ubi ait: dicetur et quod haec fecit in memoriam eius. nunc iam de muliere adque unguento pretioso quod in Bethania gestum est consideremus. Lucas enim quamuis simile factum commemoret nomenque conueniat eius, aput quem conuiuabatur dominus — nam et ipsum Simonem dicit —, tamen, quia non est contra naturam uel contra morem hominum, ut, si potest unus homo habere nomina duo, multo magis possint et unum nomen habere homines duo, potius credibile est alium fuisse illum Simonem, non leprosum, in cuius domo hoc in Bethania gerebatur. nam nec Lucas in Bethania rem gestam dicit, quam narrat, et quamuis non commemoret ciuitatem aut castellum, ubi factum sit, tamen non uidetur in eodem loco uersari eius narratio. nihil itaque aliud intellegendum arbitror nisi non quidem aliam fuisse tunc mulierem, quae peccatrix accessit ad pedes Iesu et osculata est et lauit lacrimis et tersit capillis et unxit unguento, cui dominus adhibita similitudine de duobus debitoribus ait dimissa esse peccata multa, quoniam dilexit multum, sed eandem Mariam bis hoc fecisse, semel scilicet, quod Lucas narrauit, cum primo accedens cum illa humilitate et lacrimis meruit peccatorum remissionem. nam hoc et Iohannes, quamuis non sicut Lucas quemadmodum factum esset narrauerit, tamen ipsam Mariam commendans commemorauit, cum iam de Lazaro resuscitando coepisset loqui, antequam ueniret in Bethaniam. quod ita ibi narrat: erat autem quidam, inquit, languens Lazarus a Bethania de castello Mariae et Marthae sororis eius. Maria autem erat, quae unxit dominum unguento et extersit pedes eius capillis suis, cuius frater Lazarus infirmabatur. hoc dicens Iohannes adtestatur Lucae, qui hoc in domo Pharisaei cuiusdam Simonis factum esse narrauit — iam itaque hoc Maria fecerat —, quod autem in Bethania rursus fecit, aliud est, quod ad Lucae narrationem non pertinet, sed pariter narratur a tribus, Iohanne scilicet, Mattheo et Marco.

Inter istos igitur tres, Mattheum, Marcum et Iohannem, quemadmodum hoc conueniat adtendamus, de quibus non est dubium, quod eandem rem narrent gestam in Bethania, ubi etiam discipuli, quod omnes tres commemorant, murmurauerunt aduersus mulierem tamquam de perditione pretiosissimi unguenti. quod ergo Mattheus et Marcus caput domini unguento illo perfusum dicunt, Iohannes autem pedes, regula illa ostenditur non esse contrarium, quam demonstrauimus, cum de quinque panibus pasceret turbas. ibi enim, quia non defuit qui et quinquagenos et centenos discubuisse commemoraret, cum alius quinquagenos dixerit, non potuit uideri contrarium, potuisset autem, si alius centenos tantum

posuisset, sicut alius quinquagenos, et tamen debuit inueniri utrumque factum esse. quo exemplo informari nos oportuit, sicut illic admonui, etiam ubi singula euangelistae commemorant, utrumque factum intellegere. proinde et hic non solum caput, sed et pedes domini accipiamus perfudisse mulierem. nisi forte, quoniam Marcus fracto alabastro perfusum caput commemorat, tam quisque absurdus et calumniosus est, ut aliquid in uase fracto neget remanere potuisse, unde etiam pedes perfunderet. sed cum iste contenderit sic esse fractum, ut nihil ibi residui fieret, nitens aduersus ueritatem euangelii, quanto melius et religiosius contendet alius non esse ita fractum, ut totum effunderet, nitens pro ueritate euangelii! ille autem calumniator si tam pertinaciter caecus est, ut euangelistarum concordiam de alabastro fracto frangere conetur, prius accipiat perfusos pedes, antequam illud fractum esset, ut in integro remaneret, unde etiam caput perfunderetur, ubi fractura illa totum , effunderet. a capite quippe nobis ordinate consuli agnoscimus, sed ordinate etiam nos a pedibus ad caput ascendimus.

Cetera facti huius nullam mihi uidentur habere quaestionemquod enim alii dicunt discipulos murmurasse de unguenti effusione pretiosi. fohannes autem ludam commemorat et ideo, quia fur erat, manifestum puto esse discipulorum nomine eundem ludam significatum locutione illa, quam de Philippo in quinque panibus insinuauimus, plurali numero pro singulari usurpato. potest etiam intellegi, quod et alii discipuli aut senserint hoc aut dixerint aut eis Iuda dicente persuasum sit adque omnium uoluntatem Mattheus et Marcus etiam uerbis expresserint, sed ludas propterea dixerit, quia fur erat, ceteri uero propter pauperum curam, Iohannem autem de solo illo id commemorare uoluisse, cuius ex hac occasione furandi consuetudinem credidit intimandam.

Sequitur Mattheus: tunc abiit unus de duodecim, qui dicitur ludas Scarioth, ad principes sacerdotum et ait illis: quid uultis mihi dare et ego uobis eum tradam? at illi constituerunt ei triginta argenteos, usque ad illud ubi ait: et fecerunt discipuli sicut constituit illis Iesus et parauerunt pascha. nihil in hoc capitulo contrarium putari potest Marco et Lucae, qui hoc idem similiter narrant. quod enim dicit Mattheus: ite in ciuitatem ad quendam et dicite ei: magister dicit: tempus meum prope est, aput te facio pascha cum discipulis meis, eum significat quem Marcus et Lucas dicunt patrem familias uel dominum domus, in qua eis cenaculum demonstratum est, ubi pararent pascha.. quod ergo interposuit Mattheus ad quendam tamquam ex persona sua studio breuitatis illum conpendio uoluit insinuare. si enim diceret dixisse dominum (ite in ciuitatem et dicite ei: magister dicit: tempus meum prope est, aput te facio pascha\', tamquam ciuitati dicendum esset, acciperetur. ac per hoc non ex domini, cuius mandatum narrabat, sed ex sua persona interposuit ad quendam iussisse dominum ut irent, ne haberet necesse totum dicere, cum hoc illi ad insinuandam iubentis sententiam sufficere uideretur. nam neminem sic loqui, ut dicat cite ad quendam\\ quis nesciat? si enim diceret cite ad quemcumque\' aut \'quemlibet\', posset esse integra locutio, sed non esset certus homo. ad quem mitterentur, cum eum certum ostendant quamuis tacito eius nomine Marcus et Lucas. sciebat quippe dominus. ad quem mitteret. et ut eum etiam illi quos mittebat inuenire possent, praemonuit, quod indicium sequerentur, de homine gestante aquae laguenam uel amphoram, ut eum secuti ad domum, quam uolebat,

uenirent. cum itaque non hic posset dici dici ad quemlibet\', quod integritas quidem locutionis admittit, sed hoc loco rei huius, quae insinuabatur, ueritas non admittit, quanto minus hic dici potuit cite ad quendam-, quod omnino numquam recta locutione dici potest! sed plane discipulos a domino non ad quemlibet, sed ad quendam hominem, id est ad certum aliquem missos esse manifestum est. quod nobis ex persona sua recte potuit euangelista narrare, ut diceret \'misit eos ad quendam, ut dicerent ei: aput te facio pascha). potuit etiam sic \'misit eos ad quendam dicens: ite, dicite ei: aput te facio pascha\'. ac per hoc cum uerba domini posuisset dicentis: ite in ciuitatem, interposuit ipse: ad quendam, non quia hoc dominus dixerit. sed ut ipse nobis insinuaret tacito nomine fuisse quendam in ciuitate, ad quem domini discipuli mittebantur, ut praepararent pascha. ac sic post hanc ex persona sua interpositionem duorum uerborum sequitur ordinem uerborum domini dicentis: et dicite ei: magister dicit. iam enim si quaeras: cui? recte respondetur: illi cuidam homini, ad quem misisse insinuauit euangelista, cum ex persona sua interposuisset: ad quendam. minus quidem usitata locutio, sed tamen sic intellecta integerrima est; aut si habet aliquid proprietatis Hebraea lingua, qua perhibetur scripsisse Mattheus, ut etiam totum ex persona domini dictum locutionis integritate non careat, uiderint qui nouerunt. sane ita posset etiam Latine dici, si diceretur ite in ciuitatem ad quendam, quem uobis demonstrauerit homo, qui uobis occurrerit laguenam aquae portans\'. hoc modo iubenti sine ambiguitate posset optemperari, uelut etiam, si diceret <ite in ciuitatem ad quendam qui manet illo aut illo loco, in tali uel tali domo\' cum expressione loci et designatione domus posset intellegi, posset fieri. his autem adque huiusmodi ceteris tacitis indiciis qui dicit ite ad quendam et dicite ei* ideo non potest audiri, quia certum aliquem uult intellegi, cum dicit (ad quendam\' et non exprimit, quomodo dinoscatur. quod si ex persona dictum euangelistae illud interpositum acceperimus, erit quidem necessitate breuitatis subobscura locutio, sed tamen integra. quod uero Marcus laguenam dicit, quam Lucas amphoram, ille uasis genus, ille modum significauit, uterque ueritatem sententiae custodiuit.

Sequitur Mattheus: uespere autem facto discumbebat cum duodecim discipulis et edentibus illis dixit: amen dico uobis. quia unus uestrum me traditurus est. et contristati ualde, coeperunt singuli dicere: numquid ego sum, domine? et cetera usque ad illud ubi ait: respondens autem ludas, qui tradidit eum, dixit: numquid ego sum, rabbi? ait illi: tu dixisti. in his quae consideranda nunc proposuimus nihil adferunt quaestionis etiam ceteri euangelistae, qui talia commemorant.

# Liber Tertius

Iam quoniam omnium quattuor narratio in eo uersatur loco, in quo necesse est eos usque in finem pariter ambulare nec multum digredi ab inuicem, sicubi forte alius aliud commemorat quod alius praetermittit, uidetur mihi expeditius nos demonstrare posse omnium euangelistarum conuenientiam, si ab hoc iam loco omnium omnia contexamus et in unam narrationem faciemque digeramus. sic ergo arbitror commodius faciliusque id quod suscepimus explicari, ut adgrediamur narrationem omnia commemorantes cum eorum adtestatione euangelistarum, qui ex his omnibus quisque quod potuit aut quod uoluit commemorauit, ut tamen ab omnibus haec omnia dicerentur, quae demonstrandum est in nullo sibi esse contraria.

Hinc igitur incipiamus secundum Mattheum: 2®cenantibus eis accepit Iesus panem et benedixit ac fregit deditque discipulis suis et ait: accipite et comedite, hoc est corpus meum. hoc et Marcus Lucasque commemorant. quod enim Lucas de calice bis commemorauit, prius, antequam panem daret, deinde, posteaquam panem dedit, illud quod superius dixit praeoccupauit, ut solet, illud uero quod ordine suo posuit non commemorauerat superius; utrumque autem coniunctum hanc sententiam facit, quae et illorum est. Iohannes autem de corpore et sanguine domini hoc loco nihil dixit, sed plane alibi multo uberius hinc dominum locutum esse testatur. nunc uero cum dominum a cena surrexisse et pedes discipulorum lauisse commemorasset reddita etiam ratione, cur eis hoc fecerit, in qua dominus adhuc clause significauerat per testimonium scripturae ab eo se tradi qui manducaret eius panem, uenit ad hunc locum, quem tres ceteri pariter insinuant: cum haec dixisset, inquit, Iesus, turbatus est spiritu et protestatus est et dixit: amen, amen dico uobis, quia unus ex uobis tradet me. aspiciebant ergo, sicut idem ipse Iohannes subnectit, ad inuicem discipuli haesitantes, de quo diceret. et contristati, sicut Mattheus et Marcus dicunt. coeperunt ei singillatim dicere: numquid ego? at ipse respondens ait, sicut Mattheus sequitur, qui intingit mecum manum in parapside, hic me tradet. et sequitur idem Mattheus ita subnectens: filius quidem hominis uadit, sicut scriptum est de illo: uae autem homini illi, per quem filius hominis tradetur! bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille. in his et Marcus hoc etiam ordine consonat. deinde Mattheus subiungit: respondens autem ludas, qui tradidit eum, dixit: numquid ego sum, rabbi? ait illi: tu dixisti. etiam hic non expressum est, utrum ipse esset. potest enim adhuc intellegi tamquam \'non ego dixi\', potuit etiam hoc sic dici a Iuda et a domino responderi, ut non omnes aduerterent.

Deinde sequitur Mattheus et inserit mjsterium corporis et sanguinis a domino discipulis datum sicut et Marcus et Lucas. sed cum tradidisset calicem, rursus de traditore suo locutus est, quod Lucas persequitur dicens: uerum tamen ecce manus tradentis me mecum est in mensa. et quidem filius hominis secundum quod definitum est uadit, uerum tamen uae illi homini, per quem tradetur! hic iam intellegendum est illud consequi, quod Iohannes narrat, isti autem praetermiserunt, sicut Iohannes quaedam praetermisit quae illi dixerunt. cum ergo post traditum calicem dixisset dominus quod a Luca positum est: uerum tamen ecce manus tradentis me mecum est in mensa, et cetera, coniungitur illud secundum Iohannem: erat ergo recumbens unus ex discipulis eius in sinu Iesu, quem diligebat Iesus: innuit ergo huic Simon Petrus et dicit ei: quis est de quo dicit? itaque cum recubuisset ille supra pectus Iesu, dicit ei: domine, quis est? respondit Iesus: ille cui ego intinctum panem porrexero. et cum intinxisset panem, dedit Iudae Simonis Scarioth. et post buccellam tunc introiuit in illum satanas.

Hic uidendum est, ne non solum Lucae, qui iam dixerat intrasse satanan in cor Iudae, quando pactus est tunc cum Iudaeis, ut eum accepta pecunia traderet, sed etiam sibi ipsi Iohannes repugnare uideatur, quia iam dixerat superius, antequam istam buccellam acciperet: et cena facta, cum di abolus inmisisset in cor, ut traderet eum ludas. quomodo enim intrat in cor, nisi inmittendo iniquas persuasiones cogitationibus iniquorum? sed nunc intellegere debemus a diabolo ludam plenius esse possessum, sicut contra in bono illi qui iam acceperant spiritum sanctum, quando eis post resurrectionem insuflauit dicens: accipite spiritum sanctum, postea eum, cum desuper missus esset die pentecostes, utique plenius acceperunt. post buccellam ergo tunc introiit in eum satanas. et, sicut contextim Iohannes ipse commemorat: dicit ei Iesus: quod facis, fac citius. hoc autem nemo sciuit discumbentium ad quid dixerit ei. quidam enim putabant, quia loculos habebat ludas, quia dicit ei Iesus: eme ea quae opus sunt nobis ad diem festum, aut egenis ut aliquid daret. cum ergo accepisset ille buccellam, exiit continuo. erat autem nox. cum ergo dixisset, dicit Iesus: nunc clarificatus est filius hominis et deus clarificatus est in eo. et deus clarificabit eum in semet ipso et continuo clarificabit eum.

II. Filioli, adhuc modicum uobiscum sum. quaeritis me, et. sicut dixi ludaeis, quo ego uado, non potestis uenire, et uobis dico modo. mandatum nouum do uobis, ut diligatis inuicem, sicut dilexi uos, et uos diligatis inuicem. in hoc cognoscent omnes, quia mei discipuli estis, si dilectionem habueritis ad inuicem. dicit ei Simon Petrus: domine, quo uadis? respondit Iesus: quo ego uado, non potes me modo sequi; sequeris autem postea. dicit ei Petrus: quare non possum sequi te modo? animam meam pro te ponam. respondit Iesus: animam tuam pro me ponis? amen, amen dico tibi, non cantabit gallus, donec me ter neges. hoc de praedicta negatione sua Petro non solus Iohannes, ex cuius euangelio modo ista interposui, sed et ceteri tres commemorant. non sane omnes ex una eademque occasione sermonis ad eam commemorandam ueniunt. nam Mattheus et Marcus pari prorsus ordine et eodem narrationis suae loco eam subnectunt ambo, posteaquam dominus egressus est ex illa domo, ubi manducauerant pascha, Lucas uero et Iohannes, antequam inde esset egressus. sed facile possemus intellegere aut illos duos eam recapitulando posuisse aut istos

praeoccupando, nisi magis moueret, quod tam diuersa non tantum uerba sed etiam sententias domini praemittunt, quibus permotus Petrus illam praesumtionem proferret uel cum domino uel pro domino moriendi, ut magis cogant intellegi ter eum expressisse praesumtionem suam diuersis locis sermonis Christi et ter illi a domino responsum, quod eum esset ante galli cantum ter negaturus.

Neque enim incredibile est aliquantum disiunctis interuallis temporis Petrum commotum esse ad praesumendum sicut ad negandum uel ei dominum aliquid ter similiter respondisse, quando quidem etiam contextim nullis aliis interpositis rebus aut uerbis post resurrectionem ter illum interrogat, utrum eum amet, et ei ter hoc idem respondenti etiam ipse mandatum de pascendis ouibus suis unum idemque ter praecipit. hoc autem esse credibilius, quod ter ostenderit praesumtionem suam Petrus et de trina sua negatione ter a domino audierit, ex ipsis euangelistarum uerbis, quae a domino dicta diuerse ac diuersa commemorant, sic probatur. ecce meminerimus quod nunc interposui ex euangelio Iohannis. hoc certe dixerat: filioli, adhuc modicum uobiscum sum. quaeritis me, et, sicut dixi Iudaeis, quo ego uado, non potestis uenire, et uobis dico modo. mandatum nouum do uobis, ut diligatis inuicem, sicut dilexi uos, et uos diligatis inuicem. in hoc cognoscent omnes, quia mei discipuli estis, si dilectionem habueritis ad inuicem. dicit ei Simon Petrus: domine, quo uadis? nempe hic manifestum est ex illis uerbis motum esse Petrum, ut diceret: domine, quo uadis? quia dicentem audierat: quo ego uado, non potestis uenire. respondit Iesus eidem Petro: quo ego uado, non potes me modo sequi; sequeris autem postea. tunc ille: quare non possum, inquit, sequi te modo? animam meam pro te ponam. huic praesumtioni respondit dominus futuram eius negationem. Lucas autem cum commemorasset dixisse dominum: Simon, ecce satanas expetiuit uos, ut cribraret sicut triticum: ego autem rogaui pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos, tunc subiecit Petrum respondisse: domine, tecum paratus sum et in carcerem et in mortem ire. et ille dixit: dico tibi, Petre, non cantabit hodie gallus, donec ter neges nosse me. quam hoc aliud sit, aliud illud unde Petrus ad praesumendum permotus sit, quis non uideat? at uero Mattheus: et ymno dicto, inquit, exierunt in montem oliueti. tunc dicit illis Iesus: omnes uos scandalum patiemini in me in ista nocte. scriptum est enim: percutiam pastorem et dispargentur oues gregis. postquam autem resurrexero, praecedam uos in Galilaeam. sic prorsus et Marcus. quid habent etiam haec uerba uel sententiae simile illis, uel quibus secundum Iohannem uel quibus secundum Lucam Petrus rettulit praesumtionem suam? et hic ergo ita sequitur: respondens autem Petrus ait illi: etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego numquam scandalizabor. ait illi Iesus: amen dico tibi, quia in hac nocte, antequam gallus cantet, ter me negabis. ait illi Petrus: etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo. similiter et omnes discipuli dixerunt.

Haec paene ipsis uerbis etiam Marcus commemorat, nisi quod non generaliter, sed distinctius, quemadmodum futurum esset, expressit dictum a domino: amen dico tibi, quia tu hodie in nocte hac, priusquam bis gallus uocem dederit, ter me es negaturus. cum itaque omnes dicant praedixisse dominum, quod eum Petrus esset negaturus, antequam gallus cantaret, non autem omnes dicant, quotiens gallus cantaret, Marcus hoc solus nar-

rauit expressius. unde nonnullis uidetur non congruere ceteris, quia parum adtendunt et maxime eorum obnubilatur intentio, cum aduersus euangelium animo induuntur hostili. tota enim Petri negatio trina negatio est. in eadem namque permansit trepidatione animi propositoque mendacii, donec admonitus, quid ei praedictum sit, amaro fletu et cordis dolore sanaretur. haec autem tota, id est trina negatio, si post primum galli cantum inciperet, falsum dixisse uiderentur tres, quorum Mattheus dixit: amen dico tibi, quia hac nocte, antequam gallus cantet, ter me negabis, Lucas autem: dico tibi, Petre, non cantabit hodie gallus, donec ter neges nosse me. Iohannes autem: amen amen dico tibi, non cantabit gallus, donec me ter neges diuersis enim uerbis et uerborum ordine eandem explicauerunt sententiam dixisse dominum, quod, antequam gallus cantaret, eum Petrus esset negaturus. rursus si totam trinam negationem ante peregisset, quam cantare gallus inciperet, superfluo dixisse Marcus deprehenderetur ex persona domini: amen dico tibi, quia tu hodie in nocte hac, priusquam gallus bis uocem dederit, ter me negaturus es. quid enim adtinebat dicere priusquam bis, quando, si ante primum galli cantum tota illa trina negatio conpleretur, simul et ante secundum et ante tertium et ante omnes galli cantus eiusdem noctis conpleta inueniretur, quae ante ipsum primum conpleta probaretur? sed quia ante primum galli cantum coepta est illa trina negatio, adtenderunt illi tres, non quando eam conpleturus esset Petrus, sed quanta futura esset et quando coeptura, id est quia trina et quia ante galli cantum, quamquam in animo eius et ante primum galli cantum tota \'possit intellegi. quamuis enim uerbis negantis ante primum coepta, ante secundum autem galli cantum peracta sit tota illa trina negatio, tamen affectione animi et timore Petri ante primum tota concepta est. nec interest, quantis morarum interuallis trina uoce enuntiata sit, cum cor eius etiam ante primum galli cantum tota possederit, tam magna scilicet formidine inbibita, ut posset dominum non solum semel, sed iterum et tertio interrogatus negare, ut rectius diligentiusque adtendentibus, quomodo iam mulierem moechatus est in corde suo qui eam uiderit ad concupiscendum. sic Petrus quandocumque uerbis ederet timorem, quem tam uehementem animo conceperat, ut perdurare posset usque ad tertiam domini negationem, tota trina negatio ei tempori deputanda est, quando eum trinae negationi sufficiens timor inuasit. ex quo etiam si post primum galli cantum inciperent pulsato interrogationibus pectore uerba illa negationis erumpere, nec sic absurde adque mendaciter ante galli cantum ter negasse diceretur, quando ante galli cantum tantus timor obsederat mentem, qui eam posset usque ad tertiam negationem perducere. multo minus igitur mouere debet, quia trina negatio etiam trinis negantis uocibus ante galli cantum coepta, etsi non ante primum galli cantum peracta est. tamquam si alicui diceretur hac nocte, antequam gallus cantet, ad me scribes epistulam, in qua mihi ter conuiciaberis, non utique, si eam ante omnem galli cantum scribere inciperet et post primum galli cantum finiret, ideo dicendum erat falsum fuisse praedictum. Marcus ergo de ipsarum uocum interuallis planius elocutus est, qui dixit ex persona domini: priusquam bis gallus uocem dederit, ter me es negaturus. ita gestum esse apparebit, cum ad eundem locum narrationis euangelicae uenerimus, ut etiam illic ostendatur euangelistas sibi congruere.

Si autem quaeruntur ipsa omnino uerba, quae Petro dominus dixerit, neque inueniri possunt et superfluo quaeruntur, cum sententia eius, propter quam cognoscendam uerba proferuntur, etiam in diuersis euangelistarum uerbis possit esse notissima. siue ergo diuersis sermonum domini locis commotus Petrus singillatim ter enuntiauerit praesumtionem suam et ter ei dominus suam negationem praedixerit, sicut probabilius indagatur, siue aliquo narrandi ordine possint omnium euangelistarum commemorationes in unum redigi, quibus demonstretur semel dominum praedixisse Petro praesumenti, quod eum negaturus esset, nulla hic euangelistarum repugnantia deprehendi poterit, sicut nulla est.

III. Nunc ergo quantum possumus ipsum ex omnibus ordinem iam sequamur. cum itaque secundum Iohannem hoc Petro praedictum esset, sequitur idem Iohannes et conserit domini sermonem dicentis: non turbetur cor uestrum. creditis in deum, et in me credite. in domo patris mei mansiones multae sunt, et cetera sermonis eius praeclara maximeque sublimia diu narrat, donec contextim ueniat ad illum locum, ubi ait dominus: pater iuste, et mundus te non cognouit, ego autem te cognoui, et hi cognouerunt, quia tu me misisti, et notum eis feci nomen tuum et notum faciam, ut dilectio, qua dilexisti me, in ipsis sit et ego in ipsis. cum autem facta esset contentio inter eos, quis eorum uideretur esse maior, sicut Lucas commemorat, dixit eis: reges gentium dominantur eorum, et qui potestatem habent super eos benefici uocantur. uos autem non sic, sed qui maior est in uobis fiat sicut iunior et qui praecessor est sicut ministrator. nam quis maior est, qui recumbit an qui ministrat? nonne qui recumbit? ego autem in medio uestrum sum sicut qui ministrat. uos autem estis qui permansistis mecum in temtationibus meis. et ego dispono uobis, sicut disposuit mihi pater meus regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno, et sedeatis super thronos iudicantes duodecim tribus Israhel. ait autem dominus Simoni, sicut Lucas ipse subiungit: ecce satanas expetiuit uos, ut cribraret sicut triticum; ego autem rogaui pro te. ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. qui dixit ei: domine, tecum paratus sum et in carcerem et in mortem ire. 34 et ille dixit: dico tibi, Petre, non cantabit hodie gallus, donec ter. abneges nosse me. et dixit eis: quando misi uos sine sacculo et pera et calciamentis, numquid aliquid defuit uobis? at illi dixerunt: nihil. dixit ergo eis: sed nunc qui habet sacculum tollat, similiter et peram. et qui non habet uendat tunicam suam et emat gladium. dico enim uobis, quoniam adhuc hoc quod scriptum est oportet impleri in me: et quod cum iniustis deputatus est. etenim ea quae sunt de me finem habent. at illi dixerunt: domine, ecce gladii duo hic. at ille dixit eis: satis est. et ymno dicto, sicut Mattheus Marcusque commemorant, exierunt in montem oliueti. tunc dicit illis Iesus: omnes uos scandalum patiemini in me in ista nocte. scriptum est enim: percutiam pastorem et dispargentur oues gregis. postquam autem resurrexero, praecedam uos in Galilaeam respondens autem Petrus ait illi: etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego numquam scandalizabor. ait illi Iesus: amen dico tibi, quia in hac nocte, antequam gallus cantet, ter me negabis. ait illi Petrus: etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo. similiter et omnes discipuli dixerunt. haec secundum Mattheum inseruimus; sed et Marci paene ipsa et totidem uerba sunt, nisi quia distat illud quod de galli cantu iam supra enodauimus.

Contexit ergo narrationem Mattheus et dicit: tunc uenit Iesus cum illis in uillam, quae dicitur Gethsamani. hoc dicit et Marcus, hoc et Lucas non expresse nominato praedio, cum ait: et egressus ibat secundum consuetudinem in montem oliuarum. secuti sunt autem illum et discipuli. et cum peruenisset ad locum dixit illis: orate, ne intretis in temtationem. iste locus est, cuius nomen illi dixerunt Gethsamani. ibi fuisse intellegimus hortum, quem commemorat Iohannes ita narrans: haec cum dixisset Iesus, egressus est cum discipulis suis . trans torrentem Cedron, ubi erat hortus, in quem introiuit ipse et discipuli eius. deinde secundum Mattheum dixit discipulis: sedete hic, donec uadam illuc et orem. et adsumto Petro et duobus filiis Zebedaei coepit contristari et maestus esse. tunc ait illis: tristis est anima mea usque ad mortem; sustinete hic et uigilate mecum. et progressus pusillum procidit in faciem suam orans et dicens: mi pater, si possibile est, transeat a me calix iste; uerum tamen non sicut ego uolo, sed sicut tu. et uenit ad discipulos et inuenit eos dormientes, et dicit Petro: sic non potuistis una hora uigilare mecum? uigilate et orate, ut non intretis in temtationem. spiritus quidem promtus est, caro autem infirma. iterum secundo abiit et orauit dicens: pater mi, si non potest hic calix transire, nisi bibam illum, fiat uoluntas tua. et uenit iterum et inuenit eos dormientes; erant enim oculi eorum grauati. et relictis illis iterum abiit et orauit tertio eundem sermonem dicens. tunc uenit ad discipulos suos et dicit illis: dormite iam et requiescite; ecce adpropinquauit hora et filius hominis tradetur in manus peccatorum. surgite, eamus; ecce adpropinquauit qui me tradet.

Haec etiam Marcus eoque prorsus modo adque ordine conserit aliquanto breuius quasdam constringens sententias et aliquid magis aperiens. nam uidetur hic sermo secundum Mattheum tamquam sibi ipsi contrarius, quod post tertiam orationem uenit ad discipulos suos et dicit illis: dormite iam et requiescite; ecce adpropinquauit hora et filius hominis tradetur in manus peccatorum. surgite, eamus; ecce adpropinquauit qui me tradet. quomodo enim supra dormite iam et requiescite, cum conectat: ecce adpropinquauit hora, et ideo dicat: surgite, eamus? qua uelut repugnantia commoti qui legunt conantur ita pronuntiare quod dictum est: dormite iam et requiescite, tamquam ab exprobrante, non a permittente sit dictum. quod recte fieret, si esset necesse. cum uero Marcus ita hoc commemorauerit, ut, cum dixisset: dormite iam et requiescite, adiungeret sufficit et deinde inferret uenit hora, ecce tradetur filius hominis, utique intellegitur post illud quod eis dictum est: dormite et requiescite, siluisse dominum aliquantum, ut hoc fieret quod permiserat, et tunc intulisse: ecce adpropinquauit hora. ideo post illa uerba secundum Marcum positum est sufficit, id est (quod requieuistis iam sufficit). sed quia commemorata non est ipsa interpositio silentii domini, propterea coartat intellectum, ut in illis uerbis alia pronuntiatio requiratur.

Lucas autem praemisit, quotiens orauerit; dixit sane, quod isti tacuerunt, et orantem ab angelo confortatum et prolixius orantis sudorem fuisse sanguineum et guttas decurrentes in terram. cum ergo dicit: et cum surrexisset ab oratione etuenisset ad discipulos suos, non expressit quota oratione; nihilo tamen illis duobus repugnat. Iohannes uero, posteaquam in hortum ingressum dicit cum discipulis suis, non comme* morat, quid illic egerit, donec eius traditor cum Iudaeis ad eum conprehendendum ueniret

Tres igitur isti eandem rem ita narrauerunt, sicut etiam unus homo ter posset cum aliquanta uarietate, nulla tamen aduersitate. Lucas autem, quantum ab eis progressus, id est auulsus fuerit, ut oraret, manifestius aperuit dicens: quantum iactus est lapidis. porro autem Marcus primo ex uerbis suis idem narrauit rogasse dominum: ut, si fieri posset. transiret ab eo illa hora, id est passionis, quam calicis nomine mox significauit. deinde uerba ipsa domini sic enuntiauit: abba pater, omnia tibi possibilia sunt, transfer calicem hunc a me. quibus uerbis si adiungas quod illi duo dixerunt et quod ipse etiam Marcus ex persona sua pariter supra posuit, ita sententia manifestatur: pater, si fieri potest, omnia enim tibi possibilia sunt, transfer calicem istum a me, ne quis eum putaret patris minuisse \'potestatem, cum ait: si fieri potest; non enim dixit (si facere potes\', sed: si fieri potest; fieri autem potest quod ille uoluerit. sic itaque dictum est si fieri potest, ac si diceretur si uis. manifestauit enim Marcus, quo intellectu accipiendum sit si fieri potest, quando ait: omnia tibi possibilia sunt. et quod commemorauerunt eum dixisse: uerum non quod ego uolo, sed quod tu — quod tantundem ualet, quantum si et ita dicatur: uerum tamen non mea uoluntas, sed tua fiat — satis ostendit non ex possibilitate, sed ex uoluntate patris dictum esse si fieri potest, praesertim quia Lucas et hoc ipsum planius intimauit; non enim ait: si fiori potest, sed: si uis. cui apertiori sententiae apertius iungitur quod Marcus posuit, ut ita dicatur: si uis, omnia enim tibi possibilia sunt, transfer a me calicem istum.

. Quod autem ipse Marcns non solum pater sed abba pater eum dixisse commemorat, hoc est abba Hebraeice, quod est Latine pater. et fortasse dominus propter aliquod sacramentum utrumque dixerit uolens ostendere illam se tristitiam in persona sui corporis, id est ecclesiae suscepisse, cui factus est angularis lapis, uenienti ad eum partim ex Hebraeis, ad quos pertinet quod ait abba, partim ex gentibus, ad quas pertinet quod ait pater. etiam Paulus apostolus non praetermittens hoc sacramentum: in quo clamamus, inquit, abba pater, et iterum ait: misit deus spiritum suum in corda nostra clamantem abba pater. oportuit enim ut bonus magister et uerus saluator infirmioribus conpatiens in se ipso demonstraret non debere suos martyres desperare, si qua forte cordibus eorum inreperet sub tempus passionis ex humana fragilitate tristitia, cum eam uincerent uoluntati suae praeponendo uoluntatem dei, quia ille scit, quid expediat quibus consulit. de qua tota re non nunc tempus est, ut uberius disseratur; agitur enim modo de conuenientia euangelistarum, in quorum diuersitate uerborum salubriter discimus non aliud in uerbis ad audiendam ueritatem quam sententiam loquentis esse requirendam. hoc est enim pater quod abba pater, sed ad sacramentum intimandum planius est abba pater, ad unitatem significandam sufficit pater. et dominum quidem abba pater dixisse credendum est; sed tamen non eluceret sententia, nisi aliis dicentibus pater demonstraretur sic esse illas duas ecclesias ex Iudaeis et Graecis. ut etiam una sit. ei illo ergo intellectu dictum est abba pater, quo idem dominus alibi ait: habeo alias oues, quae non sunt ex hoc ouili, gentes utique significans, cum haberet oues etiam in populo Israhel. sed quia secutus adiecit: oportet me et eas adducere, ut sit unus grex et unus pastor, quantum ualet ad Israhelitas et gentes abba pater, tantum ad unum gregem solum pater.

V. Adhuc ergo ipso loquente, sicut dicit Mattheus et Marcus, ecce ludas unus de duodecim uenit et cum eo turba multa cum gladiis et fustibus a principibus sacerdotum et senioribus populi. qui autem tradidit eum dedit illis signum dicens: quemcumque osculatus fuero, ipse est, tenete eum. et confestim accedens ad legum dixit: haue, rabbi, et osculatus est eum. dixitque illi primo quod ait Lucas: Iuda, osculo filium hominis tradis? deinde quod Mattheus: ad quod uenisti. amice? deinde dixit quod Iohannes commemorat: quid quaeritis? responderunt ei: Iesum Nazorenum. dicit eis Iesus: ego sum. stabat autem et Iudas. qui tradebat eum, cum ipsis. ut ergo dixit eis: ego sum. abierunt retrorsum et ceciderunt in terram. iterum , ergo eos interrogauit: quem quaeritis? illi autem dixerunt: legum Nazoreum. respondit Iesus: dixi uobis, quia ego sum. si ergo me quaeritis, sinite hos abire. ut impleretur sermo, quem dixit: quia quos dedisti mihi, non perdidi ex ipsis quemquam.

Videntes autem, sicut Lucas dicit, hi qui circa ipsum erant quod futurum erat dixerunt ei: domine, si percutimus in gladio? et percussit unus ex ipsis, quod omnes quattuor dicunt, seruum principis sacerdotum et amputauit auriculam eius, sicut Lucas et Iohannes dicunt, dextram. qui autem percussit secundum Iohannem Petrus erat, quem percussit autem Malchus uocabatur. deinde quod Lucas dicit: respondens Iesus ait: sinite usque huc, et adiunxit quod Mattheus commemorat: conuerte gladium tuum in locum suum. omnes enim qui acceperint gladium gladio peribunt. an putas, quia non possum rogare patrem meum et exhibebit mihi modo plus quam duodecim milia legiones angelorum? quomodo ergo implebuntur scripturae, quia sic oportet fieri? his uerbis adiungi potest quod illum eo loco Iohannes dixisse commemorat: calicem, quem dedit mihi pater: non bibam illum? tunc, sicut dicit Lucas, tetigit auriculam illius qui percussus erat et sanauit eum.

Nec moueat, quasi contrarium sit quod Lucas dixit interrogantibus discipulis, si percuterent in gladio, dominum respondisse: sinite usque huc, quasi post illam percussionem ita dictum fuerit, ut placuerit ei usque huc factum, sed amplius fieri noluerit, cum in uerbis, quae Mattheus posuit, intellegatur potius totum factum, quo usus est Petrus gladio, domino displicuisse. illud enim uerius est, quod cum eum interrogassent dicentes: domine, si percutimus in gladio? tunc respondit: sinite usque huc, id est non uos moueat quod futurum est; permittendi sunt huc usque progredi. id est ut me adprehendant et impleantur quae de me scripta sunt. sed inter moras uerborum interrogantium dominum et illius respondentis Petrus defensionis auiditate et maiore pro domino commotione percussit; sed non potuerunt etiam simul dici quae simul fieri potuerunt. non enim diceret respondens autem Iesus, nisi illorum interrogationi responderet, non facto Petri. nam de facto Petri quid iudicauerit, Mattheus solus dicit. ubi etiam non dixit Mattheus \'respondit Iesus Petro: conuerte gladium tuum\', sed dixit: tunc ait illi Iesus: conuerte gladium tuum, quod post factum apparet dixisse dominum. illud uero quod Lucas posuit: respondens autem Iesus ait: sinite usque huc, illis qui interrogauerant responsum esse accipiendum est; sed quia, ut diximus, inter uerba interrogantium et respondentis domini facta est uno ictu percussio, hoc ordine iudicauit esse narrandum, ut etiam inter uerba interrogationis et responsionis eam insereret. non est ergo contrarium hoc ei quod dixit Mattheus: omnes enim qui acceperint gladium gladio peribunt, id est qui usi fuerint gladio. uideri autem posset contrarium, si dominus

ex illa responsione saltem usque ad unum nec ipsum letale uulnus usum tamen gladii spontaneum adprobasse demonstraretur. quamquam etiam Petro dictum totum congruenter intellegi possit, ut sic conectatur et quod Lucas et quod Mattheus rettulit, quemadmodum supra commemoraui: sinite usque huc et conuerte gladium in locum suum. omnes enim qui acceperint gladium gladio peribunt, et cetera. quomodo autem sit intellegendum sinite usque huc, iam exposti, et si aliter melius potest, ita sit, dum tamen euangelistarum ueritas constet.

Postea sequitur Mattheus et commemorat eum in illa hora dixisse turbis: tamquam ad latronem existis cum gladiis et fustibus conprehendere me. cotidie aput uos sedebam docens in templo et non me tenuistis. tunc addit etiam uerba, quae Lucas ponit: sed haec est hora uestra et potestas tenebrarum. hoc autem totum factum est, sicut Mattheus dicit, ut implerentur scripturae prophetarum. tunc discipuli omnes relicto eo fugerunt, sicut et Marcus dicit. sequebatur autem illum unus adulescens amictus sindone, sicut idem Marcus commemorat. et cum tenuissent eum, reiecta sindone nudus profugit ab eis.

VI. At illi tenentes legum duxerunt ad Caifan. principem sacerdotum, ubi scribae et seniores conuenerant, sicut Mattheus dicit. sed primo ad Annam ductus est, socerum Caifae, sicut Iohannes dicit. Marcus autem et Lucas nomen non dicunt pontificis. ductus est autem ligatus, cum adessent in illa turba tribunus et cohors et ministri Iudaeorum, sicut Iohannes commemorat. Petrus autem sequebatur eum a longe usque in atrium principis sacerdotum. et ingressus intro sedebat cum ministris, ut uideret finem, sicut dicit Mattheus. et calefaciebat se ad ignem, sicut in eo loco narrationis dicit Marcus. hoc et Lucas commemorat, quod Petrus sequebatur a longe. accenso autem igne in medio atrio et circumsedentibus illis erat Petrus in medio eorum. et Iohannes dicit, quod sequebatur Simon Petrus et alius discipulus. discipulus autem ille alius erat notus pontifici et introiuit cum Iesu in atrium pontificis, sicut Iohannes dicit. Petrus autem stabat ad ostium foris, secundum eundem Iohannem. exiit ergo discipulus alius, qui erat notus pontifici et dixit ostiariae et introduxit Petrum, sicut idem Iohannes dicit. sic enim factum est, ut intus esset et Petrus in atrio, sicut et alii dicunt.

Principes autem sacerdotum et omne concilium.

sicut Mattheus dicit, quaerebant falsum testimonium contra Iesum, ut eum morti traderent, et non inuenerunt, cum multi falsi testes accessissent. conuenientia enim testimonia non erant, sicut Marcus dicit, cum eundem locum commemoraret. nouissime autem uenerunt duo falsi testes. sicut dicit Mattheus, et dixerunt: hic dixit: possum destruere templum dei et post triduum aedificare illud. alios etiam Marcus commemorat dixisse: nos audiuimus eum dicentem: ego dissoluam templum hoc manu factum et per triduum aliud non manu factum aedificabo. et ideo non erat conueniens testimonium illorum, sicut idem Marcus ibidem dicit. et surgens princeps sacerdotum ait illi: nihil respondes ad ea quae isti aduersum te testificantur? Iesus autem tacebat. et princeps sacerdotum ait illi: adiuro. te per deum uiuum, ut dicas nobis, si tu es Christus filius dei. dicit illi Iesus: tu dixisti. haec Mattheus. Marcus autem eadem aliis uerbis dicit, nisi quod tacet, quod eum adiurauerit

princeps sacerdotum. sed tantum ualere ostendit quod ei dicit Iesus: tu dixisti, quantulum si diceret: ego sum. sequitur enim, ut ait idem Marcus: Iesus autem dixit illi: ego sum. et uidebitis filium hominis a dextris sedentem uirtutis et uenientem cum nubibus caeli. hoc dicit etiam Mattheus, sed non dicit respondisse Iesum \'ego sum\'. tunc princeps sacerdotum scidit uestimenta sua dicens: blasphemauit: quid adhuc indigemus testibus? quod Mattheus commemorat et sequitur: ecce nunc audistis blasphemiam. quid uobis uidetur? at illi respondentes dixerunt: reus est mortis. hoc etiam testatur et Marcus. et sequitur Mattheus: tunc expuerunt in faciem eius, et colafis eum ceciderunt. alii autem palmas in faciem ei dederunt dicentes: prophetiza nobis, Christe, quis est qui te percussit? hoc dicit et Marcus; commemorat etiam quod ei faciem uelauerunt. de his Lucas quoque testatur.

Haec intellegitur passus dominus usque ad mane in domo principis sacerdotum, quo prius adductus est, ubi etiam Petrus temtatus est. sed de Petri temtatione, quae inter has domini contumelias facta est, non eodem ordine omnes narrant; nam ipsas primo commemorat Mattheus et Marcus, deinde Petri temtationem; Lucas uero explicat prius temtationem Petri. tum demum has domini contumelias; Iohannes autem incipit Petri temtationem dicere et interponit quaedam de contumeliis domini et adiungit, quod inde missus est ad Caifan pontificem, et inde recapitulat, ut explicet quam coeperat temtationem Petri in domo, quo primo adductus est, et redit ad ordinem, ubi ostendat, quemadmodum ductus sit dominus ad Caifan.

Sic ergo Mattheus sequitur: Petrus uero sedebat foris in atrio, et accessit ad eum una ancilla dicens: et tu cum Iesu Galilaeo eras. at ille negauit coram omnibus dicens: nescio, quid dicis. exeunte autem illo ianuam, uidit illum alia et ait his qui erant ibi: et hic erat cum Iesu Nazoreno. et iterum negauit cum iuramento: quia non noui hominem. et post pusillum accesserunt qui stabant et dixerunt Petro: uere et tu ex illis es; nam et loquella tua manifestum te facit. tunc coepit detestari et iurare, quia non nouisset hominem. et continuo gallus cantauit. haec dicit Mattheus. intellegitur autem, quod, posteaquam exiit foras. cum iam semel negasset, gallus cantauit prius, quod Mattheus tacet et. Marcus dicit.

Non autem foris ante ianuam iterum negauit, sed cum redisset ad focum; quando autem redierit, non opus erat commemorare. Marcus ergo sic illud narrat: et exiit foras ante atrium, et gallus cantauit. rursus autem cum uidisset illum ancilla, coepit dicere circumstantibus: quia hic ex illis est. at ille iterum negauit. haec uero ancilla non eadem, sed alia est, sicut dicit Mattheus. sane hoc quoque intellegitur, quia secunda negatione a duobus conpellatus est, et ab ancilla scilicet, quam commemorat Mattheus et Marcus, et ab alio, quem commemorat Lucas. sic enim hoc narrat Lucas: Petrus uero sequebatur a longe. accenso autem igne in medio atrio et circumsedentibus illis erat Petrus in medio illorum. quem cum uidisset ancilla quaedam sedentem ad lumen et cum fuisset intuita, dixit: et hic cum illo erat. at ille negauit eum dicens: mulier, non noui illum. et post pusillum alius uidens eum dixit: et tu de illis es. hoc ergo quod Lucas ait: et post pusillum, iam egressus erat Petrus ianuam et primus gallus cantauerat, iamque redierat, ut, quemadmodum dicit Iohannes, ad focum stans iterum negaret. Iohannes enim in prima negatione Petri non solum

de primo galli cantu tacet, sicut ceteri excepto Marco. sed etiam, quod sedentem ad ignem cognouit ancilla, non commemorat. hoc enim tantum ait: dicit ergo Petro ancilla ostiaria: numquid ergo et tu de discipulis es hominis istius? dicit ille: non sum. deinde interponit, quae gesta sunt cum Iesu in eadem domo, quae commemoranda arbitratus est, ita narrans: stabant autem serui et ministri ad prunas, quia frigus erat, et calefiebant; erat autem cum eis et Petrus stans et calefaciens se. hic ergo intellegitur iam exisse foras Petrum et redisse; primo enim sedebat ad ignem, postea iam rediens stare coeperat.

Sed forte ait aliquis: nondum exierat, surrexerat autem exiturus. hoc potest dicere qui putat foris ante ianuam secundo. interrogatum negasse. uideamus ergo Iohannis sequentia: ll\'pontifex ergo, inquit, interrogauit legum de discipulis suis et de doctrina eius. respondit ei Iesus: ego palam locutus sum mundo, ego semper docui in synagoga et in templo, quo omnes Iudaei conueniunt, et in occulto locutus sum nihil. quid me interrogas? interroga eos qui audierunt quid locutus sum ipsis. ecce hi sciunt quae dixerim ego. haec autem cum dixisset, unus adsistens ministrorum dedit alapam Iesu dicens: sic respondes pontifici? respondit ei Iesus: si male locutus sum, testimonium perhibe de malo; si autem bene, quid me caedis? et misit eum Annas ligatum ad Caifan pontificem. hic sane ostenditur, quod Annas pontifex erat; nondum enim missus erat ad Caifan, cum iam illi diceretur: sic respondes pontifici? et hos duos, Annam et Caifan pontifices, commemorat etiam Lucas in initio euangelii sui. his dictis Iohannes redit ad quod coeperat de negatione Petri, id est ad eandem domum, ubi gesta sunt quae narrauit et unde ad Caifan missus est Iesus, ad quem ab initio ducebatur, sicut dixit Mattheus. commemorauit autem ista Iohannes quae interposuit recapitulans de Petro et ad eam narrationem rediens ita dicit, ut conpleat trinam negationem: erat autem Simon Petrus stans et calefaciens se. dixerunt ergo ei: numquid et tu ex discipulis eius es? negauit ille et dixit: non sum. hoc igitur loco inuenimus et non ante ianuam, sed ad focum stantem secundo negasse Petrum, quod fieri non posset, nisi iam redisset, postea quam foras exierat. neque enim iam exierat et foris eum uidit altera ancilla, sed cum exiret, eum uidit, id est cum surgeret, ut exiret, animaduertit eum et dixit his qui erant ibi, id est qui simul erant ad ignem intus in atrio: et hic erat cum Iesu Nazoreno. ille autem qui foras exierat hoc audito rediens iurauit illis contra nitentibus. quia non nouit hominem. nam et Marcus sic ait de eadem ancilla: et coepit dicere circumstantibus: quia hic ex illis est. dicebat enim non illi, sed his qui illo exeunte ibi remanserant, sic tamen, ut ille audiret, unde rediens et rursus ad ignem stans resistebat negando uerbis eorum. deinde in eo quod Iohannes ait: dixerunt: numquid et tu ex discipulis eius es? quod redeunti et stanti dictum intellegimus, hoc quoque confirmatur non illam tantum alteram ancillam, quam commemorat in hac secunda negatione Mattheus et Marcus, sed et alium, quem commemorat Lucas. cum Petro id egisse. unde Iohannes dicit: dixerunt ergo ei. quapropter siue, posteaquam illo exeunte dixit ancilla his qui secum erant in atrio: quia hic ex illis est, hoc audito ille regressus est, ut se quasi purgaret negando, siue, quod est credibilius, non audiuit, quid de illo dictum fuerit, cum foras exiret, et posteaquam rediit, ei dixerunt ancilla et ille alius quem Lucas commemorat: numquid et tu ex discipulis eius es? et dixit: non sum, pertinacius insistente illo de quo Lucas ait adque dicente: et tu de

illis es, cui Petrus ait: o homo, non sum, liquido tamen colligitur conlatis de hac re omnibus euangelistarum testimoniis non ante ianuam secundo Petrum negasse, sed intus in atrio ad ignem, Mattheum autem et Marcum, qui commemorauerunt exisse eum foras, regressum eius breuitatis causa tacuisse.

Nunc iam de tertia negatione inspiciamus eorum congruentiam, quam Mattheum solum iam explicasse meminerimus. sequitur ergo Marcus et dicit: et post pusillum, qui adstabant, dicebant Petro: uere ex illis es, nam et Galilaeus es. ille autem coepit anathematizare et iurare: quia nescio hominem istum, quem dicitis. 72 et statim iterum gallus cantauit. Lucas autem ita secutus hoc idem narrat: et interuallo facto quasi horae unius, alius quidam adfirmabat dicens: uere et hic cum illo erat; nam et Galilaeus est. et ait Petrus: homo, nescio, quid dicis. et continuo adhuc illo loquente cantauit gallus. Iohannes secutus de tertia Petri negatione ita explicat: dicit unus ex seruis pontificis, cognatus eius cuius abscidit Petrus auriculam: nonne ego te uidi in horto cum illo? iterum ergo negauit Petrus, et statim gallus cantauit quod igitur Mattheus et Marcus dicunt post pusillum quantum esset hoc temporis, manifestat Lucas dicendo: et interuallo facto quasi horae unius. de hoc autem interuallo tacet Iohannes. item quod Mattheus et Marcus non singulari, sed plurali numero enuntiant eos qui cum Petro agebant, cum Lucas unum dicat, Iohannes quoque unum eumque cognatum eius cuius abscidit Petrus auriculam, facile est intellegere aut pluralem numerum pro singulari usitata locutione usurpasse Mattheum et Marcum, aut quod unus maxime tamquam sciens et qui eum uiderat adfirmabat, ceteri autem secuti eius fidem Petrum simul urguebant, unde duos euangelistas conpendio pluralem numerum posuisse, alios autem duos eum solum significare uoluisse qui praecipuus in hoc erat. iam uero illud quod Mattheus ipsi Petro dictum fuisse adserit: uere et tu ex illis es et loquella tua manifestum te facit, sicut Iohannes eidem Petro dictum adseuerat: nonne ego te uidi in horto cum illo? Marcus autem inter se illos de Petro locutos dicit: uere ex illis est; nam et Galilaeus est, sicut et Lucas non Petro, sed de Petro dicit: alius quidem adfirmabat dicens: uere et hic cum illo erat; nam et Galilaeus est, aut sententiam intellegimus tenuisse eos, qui conpellatum dicunt Petrum — tantundem enim ualuit quod de illo coram illo dicebatur, quantum, si illi diceretur —, aut utroque modo actum, et alios illum, alios alium modum commemorasse. galli autem cantum post tertiam negationem secundum intellegimus, sicut Marcus expressit.

Sequitur ergo Mattheus ita dicens: et recordatus est Petrus uerbi Iesu quod dixerat: priusquam gallus cantet, ter me negabis. et egressus foras plorauit amare. Marcus autem ita dicit: recordatus est Petrus uerbi quod dixerat ei Iesus: priusquam gallus cantet bis, ter me negabis. et coepit flere. Lucas autem sic ait: et conuersus dominus respexit Petrum. et recordatus est Petrus uerbi domini, sicut dixit: quia priusquam gallus cantet, ter me negabis. et egressus foras Petrus fleuit amare. Iohannes de recordatione et fletu Petri tacet. sane in eo quod ait Lucas, quod conuersus dominus respexerit Petrum, quomodo accipiendum sit, diligentius considerandum est. quamuis enim dicantur etiam interiora atria, tamen in exteriore atrio fuit Petrus inter seruos, qui simul se ad ignem calefaciebant. non est autem credibile, quod ibi audiebatur dominus a Iudaeis, ut corporalis fieret illa

respectio. namque cum dixisset Mattheus: tunc expuerunt in faciem eius et colafis eum ceciderunt, alii autem palmas in faciem ei dederunt dicentes: prophetiza nobis, Christe, quis est qui te percussit? secutus est dicens: Petrus uero sedebat foris in atrio, quod non diceret, nisi illa cum domino intus agerentur. et, quantum colligitur in narratione Marci, non solum in interioribus, sed etiam in superioribus domus agebantur. nam posteaquam Marcus talia narrauit, secutus ait: et cum esset Petrus in atrio deorsum. sicut ergo eo quod Mattheus ait: Petrus uero sedebat foris in atrio, ostendit, quod illa intus agerentur, sic eo quod dixit Marcus: et cum esset Petrus in atrio deorsum, ostendit non solum in interioribus, sed etiam in superioribus gesta quae dixerat. quomodo ergo respexit Petrum dominus facie corporali? quapropter mihi uidetur illa respectio diuinitus facta, ut ei ueniret in mentem, quotiens iam negasset et quid ei dominus praedixisset, adque ita misericorditer domino respiciente paeniteret eum et salubriter fleret. sicut cotidie dicimus \'domine, respice me\', et \'repexit eum dominus qui de aliquo periculo uel labore diuina misericordia liberatus est, et sicut dictum est: respice et exaudi me, et: conuertere, domine, libera animam meam, ita dictum arbitror: conuersus dominus respexit Petrum et recordatus est Petrus uerbi domini. denique cum frequentius soleant in narrationibus suis ponere Iesum quam dominum, modo Lucas dominum posuit dicens: conuersus dominus respexit Petrum et recordatus est Petrus uerbi domini, Mattheus autem et Marcus, qui de ista respectione tacuerunt, non uerbi domini, sed uerbi Iesu eum recordatum esse dixerunt. ut etiam ex hoc intellegamus illam respectionem a Iesu non humanis oculis, sed diuinitus factam.

Sequitur ergo Mattheus et dicit: Imane autem facto consilium inierunt omnes principes sacerdotum et seniores populi aduersus Iesum, ut eum morti traderent. let uinctum adduxerunt eum et tradiderunt Pontio Pilato praesidi. Marcus similiter: let confestim mane, inquit, consilium facientes summi sacerdotes cum senioribus et scribis et uniuerso concilio uincientes. legum duxerunt et tradiderunt Pilato. Lucas autem, posteaquam conpleuit narrando Petri negationem, recapitulauit quae cum domino gesta sunt iam, ut apparet, circa mane adque ita contexuit narrationem: et uiri, qui tenebant illum, inludebant ei caedentes, et uelauerunt eum et percutiebant faciem eius et interrogabant eum dicentes: prophetiza nobis, quis est qui te percussit? et alia multa blasphemantes dicebant in eum. et ut factus est dies, conuenerunt seniores plebis et principes sacerdotum et scribae, et duxerunt illum in concilium suum dicentes: si tu es Christus, dic nobis. et ait illis: si uobis dixero, non creditis mihi; si autem etinterrogauero, non respondetis mihi, neque dimittetis. ex hoc autem erit filius hominis sedens a dextris uirtutis dei. dixerunt autem omnes: tu ergo es filius dei? qui ait: uos dicitis, quia ego sum. at illi dixerunt: quid adhuc desideramus testimonium? ipsi enim audiuimus de ore eius. et surgens omnis multitudo eorum duxerunt illum ad Pilatum. haec omnia narrauit Lucas, ubi intellegitur, quod etiam Mattheus et Marcus narrauerunt, quod interrogatus sit dominus, utrum ipse esset filius dei. et quod dixerit: dico uobis, amodo uidebitis filium hominis sedentem a dextris uirtutis et uenientem in nubibus caeli, iam lucescente die gestum, quando Lucas dicit: et ut factus est dies; adque ita narrat similia, etsi quid etiam ipse commemorat quod illi tacuerunt. nocte autem intellegimus per

falsos testes actum esse cum domino quod breuiter commemorauerunt Mattheus et Marcus, Lucas tacuit, qui enarrauit quae circa mane sunt gesta. nam et illi, id est Mattheus et Marcus, contexuerunt narrationem in his quae cum domino acta sunt usque ad mane, sed postea redierunt ad narrandam Petri negationem, qua terminata redierunt ad mane, ut inde cetera contexerent, quousque perducerent quae cum domino acta erant, sed nondum commemorauerant quod mane factum esset. Iohannes quoque, cum ea quae cum domino gesta sunt, ex quanta parte uisum est, et Petri negationem totam commemorasset, adducunt ergo, inquit, Iesum ad Caifan in praetorium. erat autem mane. ubi intellegimus aut aliquam fuisse causam, quae coegerit Caifan esse in praetorio nec esse praesentem, cum alii principes sacerdotum haberent de domino quaestionem, aut in domo eius fuisse praetorium. tamen ad ipsum ab initio ducebatur, ad quem in extremo perductus est. sed quia iam tamquam conuictum reum adducebant, Caifae autem iam antea uisum fuerat, ut Iesus moreretur, nulla mora interposita est, quin occidendus Pilato traderetur. quae igitur* per Pilatum cum domino gesta sunt, ita Mattheus narrat.

Ac primum excucurrit inde, ut commemoraret exitum Iudae traditoris, quem solus narrauit, ita dicens: tunc uidens Iudas, qui eum tradidit, quia damnatus est, paenitentia ductus rettulit triginta argenteos principibus sacerdotum et senioribus dicens: peccaui tradens sanguinem iustum. at illi dixerunt: quid ad nos? tu uideris. et proiectis argenteis in templo recessit, et abiens laqueo se suspendit. principes autem sacerdotum acceptis argenteis dixerunt: non licet mittere eos in corbanan, quia pretium sanguinis est. consilio autem inito emerunt ex illis agrum figuli in sepulturam peregrinorum. propter hoc uocatus est ager ille Acheldemac, ager sanguinis, usque in hodiernum diem tunc impletum est quod dictum est per Hieremiam prophetam dicentem: et acceperunt triginta argenteos pretium adpretiati, quem adpretiauerunt filii Israhel et dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi dominus.

Si quis autem mouetur, quod hoc testimonium non inuenitur in scriptura Hieremiae prophetae, et ideo putat fidei euangelistae aliquid derogandum, primo nouerit non omnes codices euangeliorum habere, quod per Hieremiam dictum sit, sed tantummodo per prophetam. possemus ergo dicere his potius codicibus esse credendum, qui Hieremiae nomen non habent. dictum est enim hoc per prophetam, sed Zachariam, unde putatur codices esse mendosos, qui habent nomen Hieremiae, quia uel Zachariae habere debuerunt uel nullius, sicut quidam, sed tamen per prophetam dicentem, qui utique intellegitur Zacharias. sed utatur ista defensione cui placet; mihi autem cur non placeat. haec causa est, quia et plures codices habent Hieremiae nomen et qui diligentius in Graecis exemplaribus euangelium considerauerunt in antiquioribus Graecis ita se perhibent inuenisse. nulla fuit causa, cur adderetur hoc nomen, ut mendositas fieret; cur autem de nonnullis codicibus tolleretur, fuit utique causa, ut hoc audax imperitia faceret, cum turbaretur quaestione, quod hoc testimonium aput Hieremiam non inueniretur.

Quid ergo intellegendum est, nisi hoc actum esse secretiore consilio prouidentiae dei, qua mentes euangelistarum sunt gubernatae? potuit enim fieri, ut animo Matthei euangelium

conscribentis pro Zacharia Hieremias occurreret, ut fieri solet, quod tamen sine ulla dubitatione emendaret saltem ab aliis admonitus, qui ipso adhuc in carne uiuente hoc legere potuerunt, nisi cogitaret recordationi suae, quae sancto spiritu regebatur, non frustra occurrisse aliud pro alio nomen prophetae, nisi quia ita dominus hoc scribi constituit. cur autem ita constituerit dominus, prima illa causa utilissima debet facillime cogitari etiam sic esse insinuatum ita omnes sanctos prophetas uno spiritu locutos mirabili inter se consensione constare, ut hoc multo amplius sit. quam si omnium omnia prophetarum uno unius hominis ore dicerentur, et ideo indubi. tanter accipi debere quaecumque per eos sanctus spiritus dixit et singula esse omnium et omnia singulorum. cum igitur et quae dicta sunt per Hieremiam tam sint Zachariae quam Hieremiae et quae dicta sunt per Zachariam tam sint Hieremiae quam Zachariae, quid opus erat, ut emendaret Mattheus, cum aliud pro alio sibi nomen occurrens a se scriptum relegisset ac non potius sequens auctoritatem spiritus sancti, a quo mentem suam regi plus nobis ille utique sentiebat, ita hoc scriptum relinqueret, sicut eum admonendo constituerat ei dominus, ad informandos nos tantam uerborum suorum inter prophetas esse concordiam, ut non absurde, immo congruentissime etiam Hieremiae deputaremus quod per Zachariam dictum repperiremus? si enim hodie quisquam uolens alicuius uerba indicare dicat nomen alterius, a quo dicta sint, qui tamen sit amicissimus et familiaritate coniunctissimus illius, cuius uerba dicere uoluit, et continuo recordatus alium pro alio se dixisse ita se colligat adque corrigat, ut tamen dicat \'bene dixi, quid aliud intuens nisi tantam inter ambos esse concordiam, inter illum scilicet cuius uerba dicere uoluit et alium cuius ei nomen pro illius nomine occurrit, ut tale sit hoc istum dixisse, quale si ille dixisset, quanto magis hoc de prophetis sanctis intellegendum et maxime commendandum fuit, ut omnium libros tamquam unius unum librum acciperemus, in quo nulla rerum discrepantia crederetur, sicut nulla inueniretur, et in quo maior esset constantia ueritatis, quam si omnia illa unus homo quamlibet doctissimus loqueretur? quod ergo hinc argumentum sumere conantur uel infideles uel inperiti homines quasi ad ostendendam dissonantiam sanctorum euangelistarum, hoc potius debent adsumere fideles et docti ad ostendendam unitatem sanctorum etiam prophetarum.

Est alia causa, quae mihi uidetur alio tempore diligentius pertractanda, ne amplius sermonem protendamus, quam huius operis terminandi necessitas flagitat, cur hoc nomen Hieremiae in testimonio Zachariae sic manere permissum uel potius sancti spiritus auctoritate praeceptum sit. est aput Hieremiam, quod emerit agrum a filio fratris sui et dederit ei argentum, non quidem sub hoc nomine pretii, quod positum est aput Zachariam, triginta argenteis, uerum tamen agri emtio non est aput Zachariam; quod autem prophetiam de triginta argenteis ad hoc interpretatus sit euangelista, quod modo de domino conpletum est, ut hoc esset eius pretium, manifestum est; sed ad hoc pertinere etiam illud de agro emto quod Hieremias dicit hinc potuit mystice significari, ut non hic Zachariae nomen poneretur, qui dixit triginta argenteis, sed Hieremiae, qui dixit de agro emto, ut lecto euangelio adque inuento nomine Hieremiae, lecto autem Hieremia et non inuento testimonio de triginta argenteis, inuento tamen agro emto, admoneatur lector utrumque conferre et inde sensum enucleare prophetiae, quomodo pertineat ad hoc quod in domino impletum est.

nam illud quod subiecit huic testimonio Mattheus, cum ait: quem adpretiauerunt filii Israhel et dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi dominus, nec aput Zachariam nec aput Hieremiam repperitur. unde magis ex persona ipsius euangelistae accipiendum est eleganter et mystice insertum, quia hoc ex domini reuelatione cognouerit ad hanc rem, quae de Christi pretio facta est, huius modi pertinere prophetiam. liber quippe emti agri aput Hieremiam iubetur mitti in uas fictile et emitur hic de pretio domini ager figuli, et hoc ad sepulturam peregrinorum tamquam ad permansionem quietis eorum qui in hoc saeculo peregrinantes consepeliuntur Christo per baptismum. nam et illam emtionem agri hoc significare Hieremiae dicit dominus, quia erit permansio de captiuitate liberatorum in illa terra. haec tamquam delinianda arbitratus sum, cum admonerem, quid in his propheticis testimoniis in unum redactis et euangelicae narrationi conlatis diligentius adtentiusque requiratur. haec interposuit Mattheus de Iuda traditore.

VIII. Deinde sequitur et dicit: nIesus autem stetit ante praesidem et interrogauit eum praeses dicens: tu es rex Iudaeorum? dicit ei Iesus: tu dicis. et cum accusaretur a principibus sacerdotum et senioribus, nihil respondit. tunc dicit illi Pilatus: non audis, quanta aduersum te dicunt testimonia? et non respondit ei ullum uerbum, ita ut miraretur praeses uehementer. per diem autem sollemnem consueuerat praeses dimittere populo unum uinctum, quem uoluissent. habebat autem tunc uinctum insignem, qui dicebatur Barabbas. congregatis ergo illis dixit Pilatus: quem uultis dimittam uobis, Barabban an Iesum, qui dicitur Christus? sciebat enim, quod per inuidiam tradidissent eum. sedente autem illo pro tribunali misit ad eum uxor eius dicens: nihil tibi et iusto illi, multa enim passa sum hodie per uisum propter eum. principes autem sacerdotum et seniores persuaserunt populis, ut peterent Barabban, Iesum uero perderent. respondens autem praeses ait illis: quem uultis uobis de duobus dimitti? at illi dixerunt: Barabban. dicit illis Pilatus: quid igitur faciam de Iesu, qui dicitur Christus? dicunt omnes: crucifigatur. ait illis praeses: quid enim mali fecit? at illi magis clamabant dicentes: crucifigatur. uidens autem Pilatus, quia nihil proficeret, sed magis tumultus fieret, accepta aqua lauit manus coram populo dicens: innocens ego sum a sanguine iusti huius; uos uideritis. et respondens uniuersus populus dixit: sanguis eius super nos et super filios nostros. tunc dimisit illis Barabban; legum autem flagellatum tradidit eis, ut crucifigeretur. haec narrauit Mattheus per Pilatum gesta de domino.

Marcus quoque paene isdem uerbis et rebus concinit. uerba autem Pilati, quibus respondit populo petenti, ut sollemniter unus uinctus dimitteretur, ita refert: Pilatus autem respondit eis et dixit: uultis dimittam uobis regem Iudaeorum ? Mattheus autem sic ait: congregatis ergo illis dixit Pilatus: quem uultis dimittam uobis, Barabban an Iesum, qui dicitur Christus? nulla quaestio est quod tacet ipsos petisse, ut aliquis eis dimitteretur. sed quaeri potest, quae uerba Pilatus dixerit, utrum quae a Mattheo an quae a Marco referuntur. aliud enim uidetur esse: quem uultis dimittam uobis, Barabban an Iesum, qui dicitur Christus? aliud: uultis dimittam uobis regem Iudaeorum? sed quia christos reges dicebant, et qui dixit illum an illum, manifestum est eum quaesisse, an uellent dimitti sibi regem Iudaeorum, id est Christum, nihil interest sententiae, quod hic tacuit Marcus de Barabba

hoc solum uolens dicere quod ad dominum pertinebat, quando quidem in eorum responsione satis et ipse ostendit, quem sibi dimitti uoluerint: pontifices, inquit, concitauerunt turbam, ut magis Barabban dimitteret eis. sequitur autem et dicit: Pilatus autem iterum respondens ait illis: quid ergo uultis faciam regi Iudaeorum? unde iam satis apparet, quod id Marcus uelit ostendere dicendo: regem Iudaeorum, quod Mattheus dicendo: Christum. non enim dicebantur christi reges nisi Iudaeorum: namque in eo etiam loco Mattheus ait: dicit illis Pilatus: quid igitur faciam de Iesu, qui dicitur Christus? ergo sequitur Marcus: at illi iterum clamauerunt: crucifigeeum, quod ille ait: dicunt omnes: crucifigatur. et sequitur Marcus: Pilatus uero dicebat eis: quid enim mali fecit? at illi magis clamabant: crucifige eum. hoc Mattheus non dixit, sed quoniam dixit: uidens autem Pilatus, quia nihil proficeret, sed magis tumultus fieret, dixit etiam eum lauisse manus coram populo, ut innocentem se a sanguine iusti significaret, quod item et Marcus et alii tacent. satis ostendit etiam Mattheus egisse praesidem cum populo, ut dimitteretur. quod breuiter significauit Marcus in eo quod refert Pilatum dixisse: quid enim mali fecit? deinde sic etiam ipse concludit quae per Pilatum cum domino gesta sunt: Pilatus autem, inquit, uolens populo satisfacere, dimisit illis Barabban et tradidit Iesum flagellis caesum, ut crucifigeretur. haec aput praesidem gesta narrauit Marcus.

Lucas aput Pilatum gesta sic narrat: 2 coeperunt autem accusare illum dicentes: hunc inuenimus subuertentem gentem nostram et prohibentem tributa dari Caesari et dicentem se Christum regem esse. hoc illi duo euangelistae non dixerunt, cum tamen dicerent, quod eum accusabant. ergo iste etiam ipsa crimina, quae falsa obiecerunt, aperuit. tacuit autem quod ei dixit Pilatus: non respondes quicquam? uide, in quantis te accusant, sed plane sequitur et dicit quod etiam illi dixerunt: Pilatus autem interrogauit eum dicens: tu es rex Iudaeorum? at ille respondens ait: tu dicis. hoc autem Mattheus et Marcus commemorauerunt, antequam dicerent conpellatum legum, quod eis accusantibus non responderet. nihil autem interest ueritatis, quo ordine Lucas ista rettulerit, quemadmodum nihil interest, si alius aliquid tacet quod alius commemorat, quemadmodum in consequentibus dicit: ait autem Pilatus ad principes sacerdotum et turbas: nihil inuenio causae in hoc homine. at illi inualescebant dicentes: commouet populum docens per uniuersam Iudaeam et incipiens a Galilaea usque huc. Pilatus autem audiens Galilaeam interrogauit, si homo Galilaeus esset, et ut cognouit, quod de Herodis potestate esset, remis it eum ad Herodem, qui et ipse Hierosolymis erat in illis diebus. Herodes autem uiso Iesu gauisus est ualde. erat enim cupiens ex multo tempore uidere eum, eo quod audiret multa de illo, et sperabat signum aliquod uidere ab eo fieri. interrogabat autem illum multis sermonibus. at ipse nihil respondebat. stabant etiam principes sacerdotum et scribae constanter accusantes eum. spreuit autem illum Herodes cum exercitu suo et inlusit indutum ueste alba et remisit ad Pilatum. et facti sunt amici Herodes et Pilatus in ipsa die; nam antea inimici erant ad inuicem. haec omnia, id est quod a Pilato ad Herodem dominus missus eat et quae ibi gesta sunt, Lucas solus indicat, etiamsi aliquid ibi ait simile quod in aliis narrationum locis aput alios possit inueniri, ceteri autem ea tantum dicere uoluerunt quae aput Pilatum gesta sunt, quousque dominus crucifigendus traderetur. rediens ergo Lucas ad ea quae aput praesidem gere-

bantur, unde digressus erat, ut narraret quod aput Herodem actum est, ita sequitur: 13 Pilatus autem conuocatis principibus sacerdotum et magistratibus et plebe dixit ad illos: optulistis mihi hunc hominem quasi auertentem populum, et ecce coram uobis interrogans nullam causam inueni in homine isto ex his, in quibus eum accusastis. hinc intellegimus eum praetermisisse, quemadmodum a domino quaesierit, quid accusatoribus responderet. sed neque Herodes, inquit, nam remisi uos ad illum, et ecce nihil dignum morte actum estei. emendatum ergo illum dimittam. necesse autem habebat dimittere eis per diem festum unum. exclamauit autem simul uniuersa turba dicens: tolle hunc et dimitte nobis Barabban, qui erat propter seditionem quandam factam in ciuitate et homicidium missus in carcerem. iterum autem Pilatus locutus est ad illos uolens dimittere Iesum. at illi succlamabant dicentes: crucifige, crucifige illum. ille autem tertio dixit ad illos: quid enim mali fecit iste? nullam causam mortis inuenio in eo, corripiam ergo illum et dimittam. at illi instabant uocibus magnis postulantes, ut crucifigeretur, et inualescebant uoces eorum. Mattheus huic conatui Pilati, quo saepius cum eis egit uolens, ut dimitteretur Iesus, paucissimis uerbis satis adtestatus est, ubi ait: uidens autem Pilatus, quia nihil proficeret, sed magis tumultus fieret, quod non diceret, nisi multum ille nisus esset, quamuis tacuerit, quotiens hoc efficere temtauerit, ut erueret legum furori eorum. et Lucas itaque ita concludit, quod actum est aput praesidem: et Pilatus, inquit, adiudicauit fieri petitionem eorum. dimisit autem illis eum qui propter homicidium et seditionem missus fuerat in carcerem, quem petebant, Iesum uero tradidit uoluntati eorum.

Nunc eadem secundum Iohannem consideremus, id est quae per Pilatum facta sunt. et ipsi, inquit, non introierunt in praetorium, ut non contaminarentur, sed manducarent pascha. exiit ergo Pilatus ad eos foras et dixit: quam accusationem adfertis aduersus hominem hunc? responderunt et dixerunt ei: si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum. hoc uidendum est, ne contra sit ei quod Lucas dicit certa in eum dicta esse crimina et dicit quae dicta sint: coeperunt autem, inquit, accusare illum dicentes: hunc inuenimus subuertentem gentem nostram et prohibentem tributa dari Caesari et dicentem se Christum regem esse. quod uero nunc secundum Iohannem commemoraui, uidentur. Iudaei noluisse dicere crimina, cum dixisset eis Pilatus: quam accusationem adfertis aduersus hominem hunc? responderunt enim: si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum, uidelicet ut eorum auctoritaten secutus, quid ei obiceretur, desineret quaerere, sed ob hoc tantum nocentem crederet, quod sibi ab eis tradi meruisset. ergo intellegere debemus et hoc dictum esse et illud quod Lucas commemorauit. multa enim dicta et multa responsa sunt, unde cuique eorum quantum uisum est decerpsit et in narratione sua posuit quod satis esse iudicauit. nam etiam ipse Iohannes dicit quaedam quae obiecta sunt, quae suis locis uidebimus. itaque sequitur: dixit ergo eis Pilatus: accipite eum uos et secundum legem uestram iudicate eum. dixerunt ergo ei Iudaei: nobis non licet interficere quemquam, ut sermo Iesu impleretur, quem dixit significans, qua esset morte moriturus. introiit ergo iterum in praetorium Pilatus et uocauit Iesum et dixit ei: tu es rex ludaeorum? respondit Iesus: a temet ipso hoc dicis, an alii tibi dixerunt de me? et hoc uideretur non conuenire illi quod ab aliis commemoratum est: respondit Iesus: tu dicis, nisi in consequentibus ostenderet

et illud dictum esse. unde ostendit ea quae nunc dicit a ceteris potius euangelistis tacita quam a domino dicta non esse. adtende ergo cetera. respondit, inquit, Pilatus: numquid ego Iudaeus sum? gens tua et pontifices tradiderunt te mihi: quid fecisti? respondit Iesus: regnum meum non est de mundo hoc; si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei decertarent, ut non traderer Iudaeis; nunc autem meum regnum non esthinc. dixit itaque ei Pilatus: ergo rex es tu? respondit Iesus: tu dicis, quia rex sum ego. ecce quando uentum est ad id quod alii euangelistae commemorauerunt. sequitur ergo item dicente adhuc domino quod ceteri tacuerunt: ego in hoc natus sum et ad hoc ueni in mundum, ut testimonium perhibeam ueritati. omnis qui est ex ueritate audit meam uocem. dicit ei Pilatus: quid est ueritas? et cum hoc dixisset, iterum exiit ad Iudaeos. et dicit eis: ego nullam inuenio in eo causam. est autem consuetudo uobis, ut unum dimittam uobis in pascha. uultis ergo, ut dimittam uobis regem Iudaeorum ? clamauerunt rursum omnes dicentes: non hunc, sed Barabban. erat autem Barabbas latro. Hunc ergo adprehendit Pilatus Iesum et flagellauit. et milites plectentes coronam de spinis inposuerunt capiti eius et ueste purpurea circumdederunt eum. et ueniebant ad eum et dicebant: haue rex Iudae* orum, et dabant ei alapas. exiit iterum Pilatus foras et dicit eis: ecce adduco eum uobis foras, ut cognoscatis, quia in eo nullam causam inuenio. exiit ergo Iesus portans spineam coronam et purpureum uestimentum. et dicit eis: ecce homo. cum ergo uidissent eum pontifices et ministri, clamabant dicentes: crucifige, crucifige. dicit eis Pilatus: accipite eum uos et crucifigite; ego enim non inuenio in eo causam. responderunt ei Iudaei: nos legem habemus et secundum legem debet mori, quia filium dei se fecit. hoc potest congruere ei quod Lucas commemorat in accusatione ludaeorum dictum: hunc inuenimus subuertentem gentem nostram, ut adiungatur: quia filium dei se fecit. sequitur itaque Iohannes et dicit: cum ergo audisset Pilatus hunc sermonem, magis timuit. et ingressus est praetorium iterum et dicit ad Iesum: unde es tu? Iesus autem responsum non dedit ei. dicit ergo ei Pilatus: mihi non loqueris nescis, quia potestatem habeo crucifigere te et potestatem habeo dimittere te? respondit Iesus: non haberes potestatem aduersum me ullam, nisi tibi esset datum desuper. propterea qui tradidit me tibi maius peccatum habet. exinde quaerebat Pilatus dimittere eum. Iudaei autem clamabant dicentes: si hunc dimittis, non es amicus Caesaris: omnis qui se regem facit contradicit Caesari. huic potest congruere quod Lucas in eadem accusatione Iudaeorum ita narrat: cum dixissent: inuenimus eum subuertentem gentem nostram, adiecit: et prohibentem tributa dari Caesari et dicentem se Christum regem esse. ex quo soluitur illa quaestio, qua putari poterat Iohannes dixisse nullum a Iudaeis domino crimen obiectum, quando responderunt et dixerunt ei: s i non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum. sequitur ergo Iohannes et dicit: Pilatus ergo cum audisset hos sermones, adduxit foras Iesum et sedit pro tribunali in locum qui dicitur Lithostrotus, Hebraeice autem Gabbatha. erat autem parasceue pascha hora quasi sexta. et dicit Iudaeis: ecce rex uester. illi autem clamabant: tolle, crucifige eum. dixit eis Pilatus: regem uestrum crucifigam? responderunt pontifices: non habemus regem nisi Caesarem. tunc ergo tradidit eis illum, ut crucifigeretur. haec narrauit Iohannes per Pilatum gesta.

Consequens est iam, ut ipsam domini passionem secundum quattuor euangelistarum testimonia uideamus, quam Mattheus sic incipit: tunc milites praesidis suscipientes Iesum in praetorium congregauerunt ad eum uniuersam cohortem, et exuentes eum clamydem coccineam circumdederunt ei, et plectentes coronam de spinis posuerunt super caput eius et harundinem in dextera eius, et genu flexo ante eum inludebant dicentes: haue, rex Iudaeorum. hoc Marcus in eodem loco narrationis ita dicit: milites autem duxerunt eum intro in atrium praetorii et conuocant totam cohortem, et induunt purpuram et inponunt ei plectentes spineam coronam, et coeperunt salutare eum: haue, rex Iudaeorum. et percutiebant caput eius harundine et conspuebant eum, et ponentes genua adorabant eum. intellegitur itaque quod Mattheus ait: clamydem coccineam circumdederunt ei, hoc Marcum dixisse: in purpuram purpuram. pre regia enim purpura clamys illa coccinea ab inludentibus adhibita erat, et est rubra quaedam purpura cocco simillima. potest etiam fieri, ut purpuram etiam Marcus commemorauerit, quam clamys habebat, quamuis esset coccinea. Lucas hoc praetermisit. Iohannes autem antequam diceret, quod eum Pilatus crucifigendum tradiderit, commemorauit hoc dicens: Hunc ergo adprehendit Pilatus Iesum et flagellauit, \'et milites plectentes coronam de spinis inposuerunt capiti eius et ueste purpurea circumdederunt eum et ueniebant ad eum et dicebant: haue, rex Iudaeorum, et dabant ei alapas. unde apparet Mattheum et Marcum recapitulando istud commemorasse, non quo tunc factum sit, cum eum Pilatus iam crucifigendum tradidisset. Iohannes enim aput Pilatum dicit haec gesta satis euidenter, unde isti quod praeterierant recoluerunt. ad hoc pertinet etiam quod consequenter dicit Mattheus: et expuentes in eum acceperunt ha rundinemet percutiebant caput eius. et postquam inluserunt ei, exuerunt eum clamydem et induerunt eum uestimentis eius et duxerunt eum, ut crucifigerent. hoc, quod exuerunt clamydem et induerunt eum uestimentis eius, in fine factum intellegitur, cum iam duceretur. Marcus hoc ita dicit: et t postquam inluserunt ei, exuerunt illum purpura et induerunt eum uestimentis suis.

Sequitur ergo Mattheus: Stexeuntes autem inuenerunt hominem Cyreneum, nomine Simonem; hunc angariauerunt, ut tolleret crucem eius. Marcus quoque: et educunt illum, inquit, ut crucifigerent eum. et angariauerunt praetereuntem Simonem Cyreneum uenientem de uilla, patrem Alexandri et Rufi, ut tolleret crucem eius. hoc Lucas ita dicit: et cum ducerent eum, adprehenderunt Simonem quendam Cyrenen sem uenientem de uilla et inposuerunt illi crucem portare post Iesum. Iohannes autem sic narrat: susceperunt autem Iesum et eduxerunt. et baiulans sibi crucem exiuit in eum qui dicitur Caluariae locum, Hebraeice Golgotha, ubi eum crucifixerunt. unde intellegitur, quod ipse sibi portabat crucem, cum exiret in locum memoratum. Simon autem ille in itinere angariatus est, de quo tres commemorant, cui postea data est portanda crux usque ad locum. ita utrumque factum inuenimus, primo id quod lohannes dixit, deinde quod ceteri tres.

XI. Sequitur itaque Mattheus: sSe t uenerunt, inquit, in locum, qui dicitur Golgotha, quod est Caluariae locus. in hoc loco apertissime consentiunt. deinde adiungit idem Mattheus: et dederunt ei uinum bibere cum felle mixtum, et cum gustasset, noluit bibere. hoc Marcus ita narrat: et dabant ei bibere murratum uinum et non accepit. hoc intellegendum est

Mattheum dixisse: cum felle mixtum. fel quippe pro amaritudine posuit, et murratum enim uinum amarissimum est, quamquam fieri possit, ut et felle et murra uinum amarissimum redderent. quod ergo ait Marcus: non accepit, intellegitur non accepit, ut biberet\'. gustauit autem, sicut Mattheus testis est, ut quod idem Mattheus ait: noluit bibere, hoc Marcus dixerit: non accepit, tacuerit autem, quod gustauerit.

Sequitur Mattheus: postquam autem crucifixerunt eum, diuiserunt uestimenta eius sortem mittentes, et sedentes seruabant eum. hoc idem Marcus sic: et crucifigentes eum diuiserunt uestimenta eius mittentes sortem super eis, quis quid tolleret. hoc Lucas sic ait: diuidentes uero uestimenta eius sortes miserunt, et stabat populus expectans. breuiter a tribus dictum est. Iohannes autem distinctius hoc explicat, quemadmodum gestum sit. milites ergo, inquit, cum crucifixissent eum, acceperunt uestimenta eius et fecerunt quattuor partes, unicuique militi partem, et tunicam. erat autem tunica inconsutilis desuper contexta per totum. dixerunt ergo ad inuicem: non scindamus eam, sed sortiamur de illa, cuius sit, ut scriptura impleretur dicens: partiti sunt uestimenta mea sibi et in uestem meam miserunt sortem.

Sequitur Mattheus: et inposuerunt super caput eius causam ipsius scriptam: hic est Iesus rex Iudaeorum. Marcus autem, priusquam hoc dixisset, erat autem, inquit, hora tertia et crucifixerunt eum. hoc enim subiungit, cum de uestium diuisione dixisset, quae res diligentissime consideranda est, ne magnum faciat errorem. sunt enim qui arbitrentur hora quidem tertia dominum crucifixum, a sexta autem hora tenebras factas usque ad nonam, ut consummatae intellegantur tres horae, ex quo crucifixus est, usque ad tenebras factas. et posset quidem hoc rectissime intellegi, nisi Iohannes diceret hora quasi sexta Pilatum sedisse pro tribunali in locum, qui dicitur Lithostrotus, Hebraeice autem Gabbatha.sequitur enim: uerat autem parasceue pascha hora quasi sexta. et dicit Iudaeis: ecce rex uester. illi autem clamabant: tolle, tolle, crucifige eum. dixit eis Pilatus: regem uestrum crucifigam? responderunt pontifices: non habemus regem nisi Caesarem. tunc ergo tradidit eis illum. ut crucifigeretur. si igitur hora quasi sexta Pilato sedente pro tribunali traditus est crucifigendus Iudaeis, quomodo hora tertia crucifixus est, sicut uerba Marci non intellegentes quidam putauerunt?

Prius enim, qua hora cmcifigi potuerit, uideamus; deinde uidobimus, cur hora tertia crucifixum dixerit Marcus. hora erat quasi sexta, cum traditus est crucifigendus Pilato sedente, ut dictum est, pro tribunali. non enim iam plena sexta erat, sed quasi sexta, id est peracta quinta et aliquid etiam de sexta esse coeperat. numquam autem isti dicerent \'quinta et quadrans\' aut \'quinta et trien\' aut \'quinta semis aut aliquid huiusmodi. habent enim istum morem scripturae, ut a parte totum ponant, maxime in temporibus, sicut de octo illis diebus, post quos eum dicunt ascendisse in montem, quorum medios intuentes Mattheus et Marcus dixerunt: post dies sex. praesertim quia tam moderate idem Iohannes locutus est, ut non diceret \'sexta\', sed quasi sexta. quod si ita non diceret, sed tantum modo sextam diceret, possemus nos ita intellegere, quemadmodum loqui scripturae solent, sicut dixi, a parte totum, ut peracta quinta et inchoata sexta gererentur haec quae narrata sunt

in crucifixione domini nostri, donec conpleta sexta illo pendente fierent tenebrae, quibus tres euangelistae adtestantur, Mattheus, Marcus et Lucas.

Quaeramus iam consequenter, cur Marcus, cum commemorasset, quod crucifigentes eum diuiserunt uestimenta eius mittentes sortes super eis, quis quid tolleret, secutus adiunxerit: erat autem hora tertia et crucifixerunt eum. iam certe dixerat: et crucifigentes eum diuiserunt uestimenta eius. sic etiam ceteri adtestantur, quod eo crucifixo uestimenta diuisa sunt. si eius rei gestae tempus uoluit commemorare Marcus, sufficeret dicere: erat autem hora tertia. ut quid adiunxit: et crucifixerunt eum, nisi quia uoluit aliquid recapitulando significare, quod quaesitum inueniretur, cum scriptura ipsa illis temporibus legeretur, quibus uniuersae ecclesiae notum erat. qua hora dominus ligno suspensus sit, unde posset huius uel error corrigi uel mendacium refutari? sed quia sciebat a militibus suspensum dominum, non a Iudaeis, sicut Iohannes apertissime -dicit, occulte ostendere uoluit eos magis crucifixisse qui clamauerunt, ut crucifigeretur, quam illos qui ministerium principi suo secundum suum officium praebuerunt. intellegitur ergo hora fuisse tertia, cum clamauerunt Iudaei, ut dominus crucifigeretur, et ueracissime demonstratur tunc eos crucifixisse, quando clamauerunt, maxime quia nolebant uideri se hoc fecisse et propterea eum Pilato tradiderant, quod eorum uerba satis indicant secundum Iohannem. cum enim dixisset eis Pilatus: quam accusationem adfertis aduersus hominem hunc? responderunt et dixerunt ei: si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum. dixit eis Pilatus: accipite eum uos et secundum legem uestram iudicate eum. dixerunt ergo Iudaei: nobis non licet interficere quemquam. quod ergo maxime uideri fecisse nolebant hoc eos hora tertia fecisse Marcus ostendit uerissime iudicans magis fuisse domini necatricem linguam Iudaeorum quam militum manus.

Quisquis autem dixerit non fuisse horam tertiam, cum hoc 1 Iudaei primitus clamauerunt, insanissime se ostendit inimicum euangelii, nisi forte aliter potuerit eandem dissoluere quaestionem; non enim habet unde conuincat non fuisse tunc horam tertiam. ei ideo ueridico euangelistae potius credendum quam contentiosis suspicionibus hominum. unde, inquit, probas horam tertiam fuisse? respondeo: quia credo euangelistis. quibus et tu si credis, ostende, quemadmodum et hora sexta et hora tertia potuerit dominus crucifigi. de sexta enim, ut fateamur, narratione Iohannis urguemur, tertiam Marcus commemorat, quibus si uterque nostrum credit, ostende tu aliter, quemadmodum fieri utrumque potuerit, libentissime adquiescam. non enim sententiam meam, sed euangelii diligo ueritatem. adque utinam etiam plures ab aliis inueniantur huius exitus quaestionis! quod donec fiat, utere mecum isto, si placet. si enim nullus alius exitus poterit inueniri, solus iste sufficiet; si autem potuerit, cum demonstratus fuerit, eligemus. tantum non putes consequens esse, ut quilibet omnium quattuor euangelistarum mentitus sit aut in tanto et tam sancto culmine auctoritatis errauerit.

Si autem quis dixerit inde se conuincere non fuisse horam tertiam, cum illud Iudaei clamauerunt, quia, posteaquam dixit idem Marcus: Pilatus autem iterum respondens ait illis: quid ergo uultis faciam regi Iudaeorum? at illi iterum clamauerunt: crucifige eum, non

interponitur aliquid morarum ab eodem Marco in eius narratione et continuo ad id peruenitur; ut traderetur ad crucem dominus a Pilato, quod Iohannes hora quasi sexta factum esse commemorat. intellegat qui hoc dicit multa praetermissa esse quae in medio gesta sunt, cum Pilatus ageret quaerens, quomodo eum a Iudaeis eriperet et aduersus eorum insanissimam uoluntatem, quibuscumque modis potuit, instantissime niteretur. Mattheus enim ait: dicit illis Pilatus: quid igitur faciam de Iesu, qui dicitur Christus? dicunt omnes: crucifigatur. tunc fuisse dicimus horam tertiam. quod autem Mattheus sequitur et narrat: uidens autem Pilatus, quia nihil proficeret, sed magis tumultus fieret, et in conatibus Pilati ad eripiendum dominum et in tumultu Iudaeorum contra nitentium consumtum tempus duarum horarum intellegimus et coeptam fuisse sextam, qua nondum terminata gesta sunt quae ab eo tempore, quo Pilatus dominum tradidit, usque ad tenebras factas narrantur. quod autem Mattheus supra commemorat: sedente autem illo pro tribunali misit ad illum uxor eius dicens: nihil tibi et iusto illi, multa enim passa sum hodie per uisum propter eum, postea sedebat pro tribunali Pilatus, sed inter illa quae prius gesta narrabat recordatus Mattheus quod de Pilati uxore dixit uoluit hoc ibi interponere, ut praestrueret, qua maxime causa Pilatus nec nouissime uolebat eum tradere Iudaeis.

Lucas autem narrat, cum dixisset Pilatus: emendatum ergo illum dimittam, exclamasse uniuersam turbam: tolle hunc et dimitte nobis Barabban; sed fortasse nondum dixerant \'crucifige\'. iterum autem Pilatus, secundum eundem Lucam, locutus est ad illos uolens dimittere Iesum. at illi succlamabant dicentes: crucifige illum. tunc intellegitur fuisse hora tertia. quod ergo sequitur Lucas et dicit: ille autem tertio dixit ad illos: quid enim mali fecit iste? nullam causam mortis inuenio in eo; corripiam ergo illum et dimittam. at illi instabant uocibus magnis postulantes, ut crucifigeretur, et inualescebant uoces eorum, satis etiam ipse significat magnum tumultum fuisse, et post quantum morarum illis tertio dixerit: quid enim mali fecit? licet intellegere, quantum indagandae ueritati satis est, et postea quod ait: instabant uocibus magnis et inualescebant uoces eorum, quis non uideat ideo factum, quia uidebant Pilatum eis nolle tradere dominum? et qui hoc magnopere nolebat, non utique in momento temporis cessit, sed uel duae horae et aliquid amplius in illa cunctatione transierunt.

Iohannem quoque interroga et uide, quanta fuerit Pilati ilia cunctatio et recusatio tam foedi ministerii. idem namque multo explicatius ea narrat, quamuis nec ipse utique dicat omnia, in quibus duae horae et de sexta aliquid praeterfluxit. tamen, cum flagellasset legum et a militibus ueste inlusoria multisque inlusionibus male tractari permisisset — credo, ut hoc modo saltem eorum furorem mitigaret, ne usque ad mortem saeuire pertenderent —, exiit iterum Pilatus foras et dicit eis: ecce adduco eum uobis foras, ut cognoscatis, quia in eo nullam causam inuenio. exiit ergo Iesus portans spineam coronam et purpureum uestimentum. et dicit eis: ecce homo, ut illa uelut ignominiosa specie uisa placarentur. sed adiungit et dicit: cum ergo uidissent eum pontifices et ministri. clamabant dicentes: crucifige, crucifige. tunc horam tertiam fuisse dicimus. adtende, quae sequantur: dicit eis Pilatus: accipite eum uos et crucifigite: ego enim non inuenio in eo causam. responderunt ei Iudaei: nos legem habemus et secundum legem debet mori, quia filium dei se fecit. cum

ergo audisset Pilatus hunc sermonem. magis timuit. et ingressus est praetorium iterum et dicit ad Iesum: unde es tu? Iesus autem responsum non dedit ei. dicit ergo ei Pilatus: mihi non loqueris? nescis, quia potestatem habeo crucifigere te et potestatem habeo dimittendi te? respondit Iesus: non haberes potestatem aduersum me ullam, nisi tibi datum fuisset desuper. propterea qui tradidit me tibi, maius- peccatum habet. exinde Pilatus quaerebat dimittere eum. in hoc igitur, quod quaerebat Pilatus dimittere eum, quantum temporis putamus esse consumtum, quanta praetermissa quae uel a Pilato dicebantur uel a Iudaeis contradicebantur, quo usque dicerent Iudaei, unde ille commoueretur et cederet? ita enim sequitur: Iudaei autem clamabant dicentes: si hunc dimittis, non es amicus Caesaris; omnis qui se regem facit contradicit Caesari. Pilatus ergo cum audisset hos sermones, adduxit foras Iesum et sedit pro tribunali in locum, qui dicitur Lithostrotus, Hebraeice autem Gabbatha. erat autem parasceue pascha hora quasi sexta. ab illa ergo uoce Iudaeorum, qua primo dixerunt: crucifige, cum esset hora diei tertia, usque ad hoc, quod sedit pro tribunali, per medias moras cunctationis Pilati et tumultuantium Iudaeorum duae horae praeterierunt et peracta quinta iam de sexta aliquid coeperat. dicit ergo Iudaeis: ecce rex uester. illi autem clamauerunt: tolle, crucifige eum. sed neque iam commotus Pilatus timore calumniae facile cedebat. tunc enim uxor eius ad eum miserat sedentem pro tribunali, quod praeoccupauit Mattheus, qui hoc solum commemorauit, antequam ad eum locum narrationis ueniret, ut ibi hoc poneret, ubi oportunum iudicauit. temtans itaque adhuc Pilatus, ne quid proficeret, dixit eis: regem uestrum crucifigam? responderunt pontifices: non habemus regem nisi Caesarem. tunc ergo tradidit illis eum, ut crucifigeretur. et dum pergit et dum crucifigitur cum duobus latronibus, dum uestes eius diuiduntur et in sortem illa tunica mittitur adque inter haec uariis conuiciis inluditur — simul enim, cum illa gererentur, etiam conuicia iaciebantur —, conpleta est et hora sexta et factae sunt tenebrae, quas Mattheus et Marcus et Lucas commemorant.

Iam itaque conruat impia pertinacia et credat dominum Iesum Christum et tertia hora crucifixum lingua Iudaeorum et sexta manibus militum, quia in tumultu Iudaeorum et Pilati aestibus duae adque amplius horae praeterierunt a uoce, qua dixerunt: crucifige. sed ipse Marcus, qui maxime breuitatis sectator est, breuiter uoluit intimare Pilati uoluntatem et conatum pro domini uita. cum enim dixisset: at illi iterum clamauerunt: crucifige eum, ubi ostendit, quod iam clamauerant, cum uellent sibi dimitti Barabban, adiunxit: Pilatus uero dicebat eis: quid enim mali fecit? hoc modo breuiter insinuauit quod diu gestum est. memor tamen etiam iste quid uellet intellegi, non ait Pilatus uero dixit eis\', sed ait: Pilatus uero\' dicebat eis: quid enim mali fecit? quia, si diceret \'dixit\', quasi semel dictum intellegeremus; quia uero ait: dicebat, satis intimauit intellegentibus multis modis et saepe dictum esse, quo usque inciperet hora sexta. cogitemus ergo, quam breuiter hoc dixerit Marcus in conparatione Matthei, quam breuiter Mattheus in conparatione Lucae, quam breuiter Lucas in conparatione Iohannis, cum tamen alia adque alia quisque commemoraret, et quam denique breuiter ipse lohannes in conparatione rerum, quae gestae sunt, et morarum, cum illa gererentur: et sine insania resistendi credamus duas horas et quiddam illo interuallo transire potuisse.

Quisquis autem dixerit potuisse Marcum, si ita esset, eo tempore dicere fuisse horam tertiam, quo erat hora tertia, cum uox Iudaeorum de crucifigendo domino sonuisset, dicere etiam, quod eum tunc ipsi crucifixerint, nimis superbe leges narratoribus ueritatis inponit. sic enim potest dicere, si haec ipse narraret, eo modo eodemque ordine ab omnibus debuisse narrari, quo ipse narrauit. dignetur ergo consilio Marci euangelistae superari consilium suum, qui eo loco id ponendum iudicauit, quo loco diuina inspiratione suggestum est. recordationes enim eorum eius manu gubernatae sunt qui gubernat aquam, sicut scriptum est, qualiter illi placuerit. fluitat enim humana memoria per uarias cogitationes, nec in cuiusquam potestate est, quid et quando ei ueniat in mentem. cum ergo illi sancti et ueraces uiri quasi fortuita recordationum suarum propter narrationis ordinem occultae dei potestati, cui nihil fortuitum est, commisissent, non oportet quemquam hominum dicere longe abiectum ab oculis dei et longe peregrinantem: hoc loco poni debuit, quod ualde ignorat. cur eo loco deus poni uoluerit, quia: et si obuelatum est euangelium nostrum, ait apostolus, in his qui pereunt obuelatum est, et cum dixisset: aliis quidem sumus odor uitae in uitam, aliis odor mortis in mortem, subiecit statim: et ad haec quis idoneus? id est quis idoneus intellegere, quam iuste fiat? quod idem dominus dicit: ego ueni, ut qui non uident uideant et qui uident caeci fiant. ipsa est enim altitudo diuitiarum sapientiae et scientiae dei, qua fecit ex eadem massa aliud uas in honorem, aliud in contumeliam, et dicitur carni et sanguini: o homo, tu quis es, qui respondeas deo? quis ergo et in hac re cognoscit intellectum domini aut quis consiliarius illius fuit, ubi sic gubernauit corda reminiscentium euangelistarum et in ecclesiae fastigio tanto auctoritatis culmine sublimauit, ut per haec ipsa quae in eis contraria uideri possunt multi excaecarentur digne traditi in concupiscentias cordis sui et reprobum sensum, et multi exercerentur ad elimandum pium intellectum secundum occultam omnipotentis iustitiam? dicit enim propheta domino: nimis profundae factae sunt cogitationes tuae, uir inprudens non cognoscit et stultus non intellegit haec.

Peto autem et admoneo eos qui haec legunt per nos adiuuante domino elaborata, ut huius sermonis, quem hoc loco interponendum arbitratus sum in omni simili quaestionum difficultate meminerint, ne saepius eadem repetenda sint. facile autem uidebit qui sine impietatis duritia uoluerit adtendere, quam oportuno loco Marcus hoc de tertia hora posuerit, ut quisque . ibi recordetur, qua hora Iudaei crucifixerint dominum, qui uolebant in Romanos uel principes uel milites transferre ipsum facinus, ubi factum ministrorum militum commemoratum est. ait enim: et crucifigentes eum diuiserunt uestimenta eius mittentes sortes super eis, quis quid tolleret. qui hoc, nisi milites, sicut Iohannes manifestat? ergo ne quisquam cogitationem tanti criminis auersus a Iudaeis in milites illos conuerteret, erat autem, inquit, hora tertia et crucifixerunt eum, ut illi eum potius crucifixisse inueniantur quos hora tertia, ut crucifigeretur, clamare potuisse diligens inquisitor inueniet, cum aduerterit hoc quod a militibus factum est hora sexta factum esse.

Quamquam non desint qui parasceues — quam Iohannes commemorauit dicens: erat autem parasceue hora fere sexta — horam diei tertiam uelint intellegi, qua sedit Pilatus pro tribunali, ut eadem tertia conpleta uideatur, quando crucifixus est, adque illo iam pendente in ligno aliae tres horae peractae sint et reddiderit spiritum, ut ab ea hora, qua defunctus

est, id est diei sexta, tenebrae fierent usque ad nonam. dicunt enim die quidem illo, quem dies sabbati sequebatur. parasceuen fuisse paschae Iudaeorum, quod ab eodem sabbato iam inciperent azyma; sed tamen uerum pascha, quod iam in passione domini gerebatur, non Iudaeorum, sed Christianorum, coepisse praeparari, id est parasceuen habere, ab hora noctis nona in eo quod dominus a Iudaeis occidendus praeparabatur. parasceue quippe interpretatur praeparatio. ab illa ergo nona hora noctis usque ad eius crucifixionem occurrit hora parasceues sexta secundum Iohannem et hora diei tertia secundum Marcum, ut non Marcus horam illam recordatam recapitulando commemorauerit, qua clamauerunt Iudaei: crucifige, crucifige, sed eam prorsus horam tertiam dixerit, qua dominus est fixus in ligno. quis fidelis non huic faueat solutioni quaestionis, si modo possit aliquis articulus conici ab hora nona noctis, unde coepisse parasceuen paschae nostrae, id est praeparationem mortis Christi, congruenter intellegamus? si enim dicamus eam coepisse, quando a Iudaeis adprehensus est dominus, adhuc noctis primae partes erant; si. quando ad domum perductus est soceri Caifae, ubi et auditus est a principibus sacerdotum, adhuc gallus non cantauerat, quod ex Petri negatione colligimus, quae, cum iam audiretur, facta est; si autem, quando Pilato traditus est, iam mane fuisse apertissime scriptum est. restat ergo, ut intellegamus tunc coepisse istam parasceuen paschae, id est praeparationem mortis domini, quando responderunt omnes principes sacerdotum, aput quos primo audiebatur, et dixerunt: reus est mortis, quod aput Mattheum et Marcum inuenitur, ut recapitulando intellegantur de Petri negatione postea dixisse quod antea factum erat. non enim absurde conicitur eo tempore, quando, ut dixi, reum mortis pronuntiauerunt, nonam horam noctis esse potuisse. ex qua hora usque ad horam, qua sedit Pilatus pro tribunali, quasi sexta hora fuit, non diei, sed parasceues, id est immolationis domini, quod uerum pascha est, ut plena sexta eiusdem parasceues, quae plena diei tertia occurrebat, dominus suspenderetur in ligno. siue ergo hoc potius intellegendum eligatur, siue Marcus tertiam horam recoluerit eamque maxime ad condemnationem Iudaeorum in domini crucifixione commemorare uoluerit, qua intelleguntur clamare potuisse, ut crucifigeretur, ut ipsos potius crucifixisse acciperemus quam eos quorum manibus suspensus in ligno est, sicut ille centurio magis accessit ad dominum quam illi amici, quos misit: procul dubio quaestio soluta est de hora dominicae passionis, quae maxime solet et contentiosorum concitare inpudentiam et infirmorum inperitiam perturbare.

XIIII. Sequitur Mattheus et dicit: tunc crucifixi sunt cum eo duo latrones, unus a dextris et unus a sinistris. et Marcus similiter et Lucas. nec Iohannes aliquam facit quaestionem. quamuis latrones eos non dixerit. ait enim: et cum eo alios duos hinc et hinc, medium autem Iesum. esset autem contrarium, si, cum illi dixissent \'atrones, iste diceret \'innocentes\'.

XV. Sequitur Mattheus et dicit: praetereuntes autem blasphemabant eum mouentes capita sua et dicentes: qui destruit templum et in triduo illud reaedificat, salua temet ipsum; si filius dei es, descende de cruce. huic Marcus paene ad eadem uerba consonat. sequitur deinde Mattheus et dicit: similiter et principes sacerdotum inludentes cum scribis et senioribus dicentes: alios saluos fecit, se ipsum non potest saluum facere. si rex Israhel est, descendat nunc de cruce et credimus ei. confidit in deum; liberet nunc eum, si uult. dixit enim quia dei

filius sum. Marcus et Lucas, quamuis alia uerba dicant, ad eandem tamen sententiam concinunt, cum alius praetermittit quod alius commemorat. de principibus enim sacerdotum, quod insultauerint domino crucifixo, pariter non tacent, quamuis seniores tacuit Marcus, Lucas autem, quia principes dixit nec addidit sacerdotum, magis nomine generali omnes primates conplexus est, ut ibi possint intellegi et scribae et seniores.

Sequitur Mattheus et dicit: id ipsum autem et latrones, qui fixi erant cum eo, inproperabant ei. nec Marcus discrepat hoc idem dicens aliis uerbis. Lucas autem potest putari repugnare, nisi genus locutionis satis usitatum non obliuiscamur. ait enim Lucas: unus autem de his qui pendebant latronibus blasphemabat eum dicens: si tu es Christus, saluum fac temet ipsum et nos. sequitur idem ipse adque ita contexit: respondens autem alter increpabat illum dicens: neque tu times deum. quod in eadem damnatione es? et nos quidem iuste, nam digna factis recipimus; hic uero nihil mali gessit. et dicebat ad Iesum: domine, memento mei, cum ueneris in regnum tuum. et dixit illi Iesus: amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. quomodo ergo, sicut Mattheus dicit, latrones, qui fixi erant eum eo, inproperabant ei, uel, sicut Marcus dicit, et qui cum eo crucifixi erant conuiciabantur ei, quando quidem unus eorum conuiciatus est secundum Lucae testimonium, alter et conpescuit eum et in dominum credidit, nisi intellegamus Mattheum et Marcum breuiter perstringentes hunc locum pluralem numerum pro singulari posuisse, sicut in epistula ad Hebraeos legimus pluraliter dictum: cluserunt ora leonum, cum solus Danihel significari intellegatur, et pluraliter dictum: secti sunt, cum de solo Esaia tradatur? in psalmo etiam quod dictum est: adstiterunt reges terrae et principes conuenerunt in unum, pluralem numerum pro singulari positum in actibus apostolorum ponitur. nam reges propter Herodem, principes propter Pilatum intellexerunt qui testimonium eiusdem psalmi adhibuerunt. sed quia et pagani solent calumniari euangelio, uideant, quemadmodum locuti sint auctores eorum Faedras, Medeas et Clytemestras, cum singulae fuerint. quid autem usitatius uerbi gratia, quam ut dicat aliquis: (et rustici mihi insultant\', etiam si unus insultet? tunc enim esset contrarium quod Lucas de uno manifestauit, si illi dixissent ambos latrones conuiciatos domino; ita enim non posset sub numero plurali unus intellegi. cum uero dictum est latrones uel qui cum eo crucifixi erant nec additum est \'ambo\', non solum, si ambo fecissent, posset hoc dici, sed etiam, quia unus hoc fecit, potuit usitato locutionis modo per pluralem numerum significari.

Sequitur Mattheus et dicit: a sexta autem hora tenebrae factae sunt super uniuersam terram usque ad horam nonam. hoc et duo alii contestantur; addit autem Lucas etiam, unde factae sint tenebrae, id est solem obscuratum. sequitur Mattheus: et circa horam nonam clamauit Iesus uoce magna dicens: heli, heli, lema sabacthani? hoc est: deus meus, deus meus, ut quid dereliquisti me? quidam autem illic stantes et audientes dicebant: Helian uocat iste. Marcus paene ad eadem uerba, ad eandem tamen sententiam non paene, sed omnino consentit. sequitur Mattheus: et continuo currens unus ex eis acceptam spongeam impleuit aceto et inposuit harundini et dabat ei bibere. sic et Marcus dicit: currens autem unus et implens spongeam aceto circumponensque calamo potum dabat ei dicens: sinite, uideamus, si ueniat Helias ad deponendum eum. quod quidem de Helia non ipsum qui ob-

tulit spongeam cum aceto, sed ceteros dixisse Mattheus narrauit. ait enim: ceteri uero dicebant: sine, uideamus, an ueniat Helias liberans eum, unde intellegimus et illum et ceteros hoc dixisse. Lucas autem, antequam de latronis insultatione narraret. hoc de aceto ita commemorauit: inludebant autem ei et milites accedentes et acetum offerentes illi, dicentes: si tu es rex Iudaeorum, saluum te fac. semel conplecti uoluit quod a militibus factum et dictum est. ubi mouere non debet. quod non unum eorum dixit acetum obtulisse: genus enim locutionis tenuit, de quo supra tractauimus, pluralem pro singulari ponens. hoc autem de aceto etiam Iohannes commemorauit, ubi ait: postea sciens Iesus, quia omnia consummata sunt, ut consummaretur scriptura, dixit: sitio. uas autem positum erat aceto plenum; illi autem spongeam plenam aceto ysopo circumponentes obtulerunt ori eius. sed quod aput eundem Iohannem inuenitur dixisse sitio et quia uas ibi erat aceto plenum. non mirum est, si ceteri tacuerunt.

XVIII. Sequitur Mattheus: Iesus autem iterum clamans uoce magna emisit spiritum. Marcus similiter: Iesus autem emissa uoce magna expirauit. Lucas autem, quid ipsa uoce magna dixerit, declarauit; dixit enim: et clamans Iesus uoce magna ait: pater, in manus tuas commendo spiritum meum, et haec dicens expirauit. Iohannes uero, sicut tacuit illam uocem primam heli, heli, quam Mattheus et Marcus rettulerunt, tacuit etiam istam, quam Lucas solus indicauit, illi autem duo nomine uocis magnae significauerunt, id est: pater, in manus tuas commendo spiritum meum, quod eum uoce magna dixisse et ipse Lucas similiter adtestatus est, ut intellegeremus hanc fuisse uocem magnam quam Mattheus et Marcus commemorauerunt. sed dixit Iohannes, quod nullus illorum trium, eum dixisse: consummatum est, cum acetum accepisset, quod eum ante ipsam uocem magnam dixisse intellegimus. haec sunt enim uerba Iohannis: cum ergo accepisset Iesus acetum, dixit: consummatum est, et inclinato capite tradidit spiritum. inter illud quod ait: consummatum est, et illud quod ait: et inclinato capite tradidit spiritum, emissa est illa uox magna, quam tacuit iste, ceteri autem tres commemorauerunt. hoc enim apparet esse ordinis. ut ante diceret: consummatum est, cum perfectum in illo esset quod de illo prophetatum erat, et tamquam ad hoc expectaret qui utique, cum uellet, moreretur, deinde commendans tradidit spiritum. sed quouis ordine quilibet arbitretur dici potuisse, hoc magno opere cauendum est, ne cui uideatur quisquam euangelistarum alteri repugnare, si uel tacuit quod alius dixit aut dixit quod alius tacuit.

XVIIII. Sequitur Mattheus: et ecceuelum templi scissum est in duas partes a summo usque deorsum. et Marcus sic: et uelum templi scissum est in duo a summo usque deorsum. Lucas autem similiter hoc ait: et uelum templi scissum est medium, sed non eodem ordine. uolens enim miraculum miraculo adiungere, cum dixisset: sol obscuratus est, continuo subiungendum existimauit: et uelum templi scissum est medium, praeoccupans uidelicet, quod expirante domino factum est, ut deinde recapitulans exequeretur et de potu aceti et de illa uoce magna et de ipsa morte, quae ante scissionem ueli post tenebras facta intelleguntur. Mattheus enim, qui, cum dixisset: Iesus autem iterum clamans uoce magna emisit spiritum, continuo subiecit: et ecce uelum templi scissum est, satis expressit tunc esse scissum, cum Iesus emisisset spiritum. si autem non addidisset: et ecce, sed simpliciter dixisset:

et uelum templi scissum est, incertum esset, utrum ipse et Marcus hoc recapitulando commemorassent, Lucas autem ordinem tenuisset, an Lucas recapitulasset quod illi ordine posuissent.

XX. Sequitur Mattheus: et terra mota est et petrae scissae sunt et monumenta aperta sunt et multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt; et exeuntes de monumentis post resurrectionem eius uenerunt in sanctam ciuitatem et apparuerunt multis. haec quae solus dixit non est metuendum ne cuiquam ceterorum repugnare uideantur. sequitur idem ipse: centurio autem et qui cum eo erant custodientes Iesum uiso terrae motu et his quae fiebant timuerunt ualde dicentes: uere dei filius erat iste. Marcus sic: uidens autem centurio, qui ex aduerso stabat, quia sic clamans expirasset, ait: uere homo hic filius dei erat. Lucas sic: uidens autem centurio quod factum fuerat glorificauit deum dicens: uere hic homo iustus erat. non est contrarium, quod Mattheus dicit uiso terrae motu admiratum centurionem et eos qui cum illo erant, cum Lucas dicat hoc eum admiratum, quod emissa illa uoce expirasset, ostendens, quam in potestate habuerit, quando moreretur. in eo quippe, quod idem Mattheus non solum dixit: uiso terrae motu, sed etiam addidit: et his quae facta erant, integrum locum fuisse demonstrauit Lucae, ut diceret centurionem ipsam domini mortem fuisse miratum, quia et haec inter illa est quae tunc mirabiliter facta erant. quamquam, etsi Mattheus illud non addidisset, intellegendum erat, cum multa miranda facta fuerint et omnia centurio et qui cum eo erant mirari potuerint, liberum fuisse narrantibus, quid quisque illum miratum commemorare uoluisset, nec eos sibi repugnare, cum alius illud, alius illud diceret fuisse miratum, quando omnia fuerat ille miratus. quod autem alius ait centurionem dixisse: uere dei filius erat iste, alius autem: uere homo hic filius dei erat, non mouebit eum cui non exciderunt tam multa superius similiter dicta et exposita. ad unam quippe sententiam utraque uerba concurrunt. nec quod alius tacuit homo, alius dixit, ullo modo contrarium est. magis quod Lucas non ait centurionem dixisse (filius dei erat\\ sed: iustus erat, potest putari diuersum; sed uel utrumque dictum a centurione intellegere debemus et aliud illos, aliud istum commemorasse, uel fortasse Lucam exprimere uoluisse sententiam centurionis, quomodo dixerit legum filium dei. forte enim non eum unigenitum aequalem patri centurio intellexerat, sed ideo filium dei dixerat, quia iustum crediderat, sicut multi iusti dicti sunt filii dei. quod autem etiam ipse Lucas dixit: uidens autem centurio quod factum erat, in eo genere inclusit omnia quae in illa hora mirabiliter facta erant, tamquam unum mirabile factum commemorans, cuius quasi membra et partes erant omnia illa miracula. iam uero, quod Mattheus addidit eos qui cum centurione erant, alii autem hoc tacuerunt, cui non appareat ex notissima regula non esse contrarium, cum alius dicit quod alius tacet? et quod Mattheus dixit: timuerunt ualde, Lucas autem non dixit \'timuit\', sed: glorificauit deum, quis eum non intellegat timendo glorificasse?

XXI. Sequitur Mattheus: erant autem ibi mulieres multae a longe, quae secutae erant legum a Galilaea ministrantes ei, inter quas erat Maria Magdalene et Maria Iacobi et Ioseph mater et mater filiorum Zebedaei. Marcus sic: erant autem et mulieres de longe aspicientes, inter quas erat Maria Magdalene et Maria Iacobi minoris et Ioseph mater et Salome; et cum esset in Galilaea, sequebantur eum et ministrabant ei. et aliae multae, quae simul cum eo

ascenderant Hierosolymam. inter hos nihil uideo, quod contrarium possit putari. quid enim interest ad ueritatem, quod quasdam mulieres pariter. quasdam singuli nominauerunt? Lucas quoque ita narrationem contexit: et omnis turba eorum qui simul aderant ad spectaculum istud et uidebant quae fiebant percutientes pectora sua reuertebantur. stabant autem omnes noti eius a longe et mulieres, quae secutae erant eum a Galilaea. haec uidentes. unde superioribus duobus de mulierum praesentia satis consentit, quamuis nullam earum nominatim exprimat. de turba etiam, quae simul aderat et uidentes quae fiebant tundebant pectora sua et reuertebantur, consentit Mattheo, quamuis seorsum adnexuerit: centurio autem et qui cum eo erant. quapropter tantum modo de notis eius, qui stabant a longe, solus inuenitur dixisse. nam et Iohannes commemorauit de praesentia feminarum, antequam dominus emisisset spiritum, ita narrans: stabat autem iuxta crucem Iesu mater eius et soror matris eius Maria Cleopae et Maria Magdalene. cum uidisset ergo Iesus matrem et discipulum stantem. quem diligebat, dicit matri suae: mulier, ecce filius tuus. deinde dicit discipulo: ecce mater tua. et ex illa hora accepit eam discipulus in sua. qua in re nisi apertissime Mattheus quoque et Lucas Mariam Magdalenen nominassent, possemus dicere, alias a longe, alias iuxta crucem fuisse. nullus enim eorum praeter lohannem matrem domini commemorauit. nunc ergo quomodo intellegitur eadem Maria Magdalene et a longe stetisse cum aliis mulieribus, sicut Mattheus et Lucas dicunt, et iuxta crucem fuisse, sicut Iohannes dicit, nisi quia in tanto interuallo erant, ut et iuxta dici possent, quia in conspectu eius praesto aderant, et a longe in conparatione turbae propinquius circumstantis cum centurione et militibus? possumus etiam intellegere, quod illae quae simul aderant cum matre domini, postquam eam discipulo commendauit, abire iam coeperant, ut a densitate turbae se exuerent, et cetera quae facta sunt longius intuerentur, ut ceteri euangelistae qui post mortem domini eas commemorauerunt iam longe stantes commemorarent.

XXII. Sequitur Mattheus: cum sero autem factum esset, uenit quidam homo diues ab Arimathia nomine Ioseph, qui et ipse discipulus erat Iesu. hic accessit ad Pilatum et petit corpus Iesu. tunc Pilatus iussit reddi corpus. Marcus sic: et cum iam sero esset factum, quia erat parasceue, quod est ante sabbatum, uenit Ioseph ab Arimathia, nobilis decurio, qui et ipse erat expectans regnum dei, et audacter introit ad Pilatum et petiuit corpus Iesu. Pilatus autem mirabatur, si iam obisset. et accersito centurione interrogauit eum, si iam mortuus esset. et cum cognouisset a centurione, donauit corpus Ioseph. Lucas sic: et ecce uir nomine Ioseph, qui erat decurio, uir bonus et iustus — hic non consenserat consilio et actibus eorum —, ab Arimathia ciuitate Iudaeae. qui expectabat et ipse regnum dei, hic accessit ad Pilatum et petit corpus Iesu. Iohannes autem, posteaquam narrauit de cruribus fractis eorum qui cum domino crucifixi erant et de latere domini lancea percusso, quod totum solus dixit, sic iungit etiam de Ioseph, consentiens ceteris, ita narrans: post haec autem rogauit Pilatum Ioseph ab Arimathia — eo quod esset discipulus Iesu, occultus autem propter metum Iudaeorum —, ut tolleret corpus Iesu. et permisit Pilatus. uenit ergo et tulit corpus Iesu. in hoc nihil exstat, in quo aliquis eorum alicui repugnare uideatur. sed aliquis forsitan quaerat, quomodo a semet ipso Iohannes ipse non discrepet, contestans cum ceteris, quod Ioseph petiuerit corpus Iesu, et solus dicens, quod occultus fuisset discip-

ulus domini propter metum Iudaeorum. merito enim mouet, cur ille qui propter timorem occultus discipulus erat ausus sit petere corpus eius, quod nullus eorum qui eum palam sequebantur auderet. sed intellegendum est istum fiducia dignitatis hoc fecisse, qua praeditus poterat familiariter intrare ad Pilatum. in extremo autem illo officio funeri exhibendo minus curasse de Iudaeis, quamuis soleret in domino audiendo eorum inimicitias deuitare.

XXIII. Sequitur Mattheus: 59et accepto corpore Ioseph inuoluit illud in sindone munda et posuit illud in monumento suo nouo, quod exciderat in petra. et aduoluit saxum magnum ad ostium monumenti et abiit. Marcus sic: Ioseph autem mercatus sindonem et deponens eum inuoluit sindone et posuit eum in monumento, quod erat excisum de petra, et aduoluit lapidem ad ostium monumenti. Lucas sic: et depositum inuoluit in sindone et posuit eum in monumento exciso, in quo nondum quisquam positus fuerat. ex his tribus nulla quaestio dissensionis oriri potest. Iohannes autem sepulturam domini non a solo Ioseph, sed a Nicodemo quoque curatam fuisse commemorat. consequenter enim a Nicodemo incipiens ita narrat: uenit autem et Nicodemus, qui uenerat ad Iesum nocte primum, ferens mixturam murrae et aloes quasi libras centum. deinde sequitur adiungens ipsum Ioseph et dicit: acceperunt ergo corpus Iesu et ligauerunt eum linteis cum aromatibus, sicut mos Iudaeis est sepelire. erat autem in loco. ubi crucifixus est, hortus, et in horto monumentum nouum, in quo nondum quisquam positus erat. ibi ergo propter parasceuen Iudaeorum, quia iuxta erat monumentum, posuerunt Iesum. neque hic aliquid repugnat recte intellegentibus. neque enim illi, qui de Nicodemo tacuerunt, adfirmauerunt a solo Ioseph dominum sepultum, quamuis solius commemorationem fecerint, aut quia illi una sindone Ioseph inuoluisse dixerunt, propterea prohibuerunt intellegi et alia lintea potuisse adferri a Nicodemo et superaddi, ut uerum narraret Iohannes, quod non uno linteo, sed linteis inuolutus sit. quamuis et propter sudarium, quod capiti adhibebatur. et institas, quibus totum corpus alligatum est, quia omnia de lino erant, etiamsi una sindo ibi fuit, uerissime dici potuit: ligauerunt eum linteis. lintea quippe generaliter dicuntur quae lino texuntur.

Sequitur Mattheus: erat autem ibi Maria Magdalene et altera Maria sedentes contra sepulchrum. quod Marcus ita dicit: Maria autem Magdalene et Maria Ioseph aspiciebant, ubi poneretur. unde nihil eos ex hoc dissentire manifestum est.

Sequitur Mattheus: altera autem die, quae est post parasceuen, conuenerunt principes sacerdotum et Pharisaei ad Pilatum dicentes: domine. recordati sumus, quia seductor ille dixit adhuc uiuens: post tres dies resurgam. iube ergo custodiri sepulchrum usque in diem tertium. ne forte ueniant discipuli eius et furentur eum et dicant plebi: surrexit a mortuis, et erit nouissimus error peior priore. ait illis Pilatus: habetis custodiam, ite, custodite sicut scitis. illi autem abeuntes munierunt sepulchrum signantes lapidem cum custodibus. hoc solus Mattheus narrat nullo aliorum narrante aliquid quod huic uideatur esse contrarium.

Deinde sequitur idem Mattheus et dicit: uespere autem sabbati, quae lucescit in primam sabbati, uenit Maria Magdalene et altera Maria uidere sepulchrum. et ecce terrae motus factus est magnus. angelus autem domini descendit de caelo, et accedens reuoluit lapidem et sedebat super eum. erat autem aspectus eius sicut fulgur et uestimenta eius sicut

nix. prae timore autem eius exterriti sunt custodes et facti sunt uelut mortui. respondens autem angelus dixit mulieribus: nolite timere uos; scio enim, quod Iesum, qui crucifixus est, quaeritis. non est hic, surrexit enim sicut dixit. uenite, uidete locum, ubi positus erat dominus. et cito euntes dicite discipulis eius quia surrexit et ecce praecedit uos in Galilaeam, ibi eum uidebitis. ecce dixi uobis. huic Marcus consonat. sed potest mouere, quomodo secundum Mattheum angelus super lapidem sedebat reuolutum a monumento — Marcus enim introeuntes eas in monumentum dicit uidisse iuuenem sedentem in dextris coopertum stola candida et obstipuisse — nisi intellegamus aut Mattheum tacuisse de illo angelo, quem intrantes uiderunt, Marcum uero de illo tacuisse, quem foris uiderunt sedentem super lapidem, ut duos uiderint et a duobus singillatim audierint quae dixerunt angeli de Iesu, prius ab illo quem foris uiderunt sedentem super lapidem, deinde ab illo quem uiderunt intrantes in monumentum sedentem a dextris, quo ut intrarent illius qui foris sedebat uerbis exhortatae sunt dicentis: uenite et uidete locum, ubi positus erat dominus, quo uenientes, ut dictum est, et intrantes uiderunt eum, de quo Mattheus tacet, Marcus autem loquitur, sedentem a dextris, a quo talia similiter audierunt. aut certe intrantes in monumentum in aliqua saepta maceriae debemus accipere, qua communitum locum tunc fuisse credibile est in aliquo spatio ante petram, qua excisa locus factus fuerat sepulturae, ut ipsum uiderint in eodem spatio sedentem a dextris, quem dicit Mattheus sedentem super lapidem, quem terrae motu ab ostio monumenti reuoluerat, id est a loco sepulchri, quod effossum erat in petra.

Item quaeri potest, quemadmodum Marcus dicat: at illae.

exeuntes fugerunt de monumento, inuaserat enim eas tremor et pauor, et nemini quicquam dixerunt, timebant enim, cum dicat Mattheus: et exierunt cito de monumento cum timore et gaudio magno currentes nuntiare discipulit» eius, nisi intellegamus ipsorum angelorum nemini ausas fuisse aliquid dicere, id est respondere ad ea quae ab illis audierant aut certe custodibus, quos iacentes uiderunt. nam illud gaudium, quod Mattheus commemorat, non repugnat timori, de quo Marcus dicit. debuimus enim utrumque in illarum animo factum intellegere, etiamsi ipse Mattheus de timore non diceret; cum uero et ipse dicat: et exierunt cito de monumento cum timore et gaudio magno, nihil ex hac re quaestionis remanere permittit.

De hora quoque ipsa, qua uenerunt mulieres ad monumentum, non contemnenda exoritur quaestio. cum enim Mattheus dicat: uespere autem sabbati, quae lucescit in primam sabbati, uenit Maria Magdalene et alia Maria uidere sepulchrum, quid est, quod dicit Marcus: et ualde mane una sabbatorum ueniunt ad monumentum oriente iam sole? in quo quidem a ceteris duobus, id est Luca et Iohanne, non discrepat. quod enim dicit Lucas: ualde diluculo, et Iohannes: mane cum adhuc tenebrae essent, hoc intellegitur Marcus dicere: ualde mane oriente iam sole, id est cum caelum ab orientis parte iam albesceret, quod non fit utique nisi solis orientis uicinitate; eius enim est ille fulgor, qui nomine aurorae appellari solet. ideo non repugnat illi qui ait: cum adhuc tenebrae essent. die quippe surgente aliquae reliquiae tenebrarum tanto magis extenuantur, quanto magis oritur lux. nec sic accipiendum est

quod ait: ualde mane, tamquam sol ipse iam uideretur super terras, sed potius sicut dicere solemus eis quibus uolumus significare temperius aliquid faciendum. cum enim dixerimus \'mane\', ne putent iam sole supra terram conspicuo nos dicere, ad hoc plerumque addimus \'ualde mane\', ut illud quod etiam albescente uocatur intellegant, quamquam et hoc usitatum sit, ut post galli cantum saepe repetitum, cum coniectare homines coeperint diem iam propinquare, dicant \'iam mane est\', et cum post hoc uerbum attenderint ac iam oriente, id est iam de proximo ueniente in has partes sole caelum rubescere uel albescere uiderint, addant qui dicebant (mane est\' et dicant \'ualde mane est\'. quid autem interest, dum siue illo siue isto modo nihil aliud intellegamus a Marco appellatum \'mane\' nisi quod Lucas appellauit diluculum et hoc ualde mane quod ille ualde diluculo et quod Iohannes mane cum adhuc tenebrae essent, sole autem oriente, id est ortu suo iam caelum inluminare incipiente? quomodo ergo his tribus congruat Mattheus, qui nec \'diluculo\' nec \'mane\'. sed uespere ait sabbati, quae lucescit in primam sabbati, attentius indagandum est. a parte quippe prima noctis, quod est uespere, ipsam noctem uoluit significare Mattheus, cuius noctis fine uenerunt mulieres ad monumentum. ea uero causa intellegitur eandem noctem sic appellasse, quia iam uespere licebat adferre aromata transacto utique sabbato. ergo, quoniam sabbato inpediebantur, ut non ante facerent, ab eo tempore nominauit noctem, ex quo eis licere coepit, ut facerent, quocumque uellent tempore eiusdem noctis. sic itaque dictum est uespere sabbati, ac si diceretur \'nocte sabbati\\ id est nocte, quae sequitur diem sabbati. quod ipsa uerba eius satis indicant. sic enim ait: uespere autem sabbati. quae lucescit in primam sabbati, quod fieri non potest. si tantum modo primam noctis particulam, id est solum initium noctis, intellexerimus dicto uespere significatam; neque enim ipsum initium lucescit in primam sabbati, sed ipsa nox, quae luce incipit terminari. nam terminus primae partis noctis secundae partis initium est, lux autem terminus totius noctis est. unde non potest dici (uesper elucescens in primam sabbati. nisi nomine uesperi nox ipsa intellegatur, quam lux terminat. et usitatus loquendi modus est diuinae scripturae a parte totum. a uespere ergo noctem significauit, cuius extremum est diluculum. diluculo enim uenerunt illae mulieres ad monumentum; ac per hoc ea nocte uenerunt, quae significata est nomine uesperi. tota enim significata est eo nomine. ut dixi; et ideo, quacumque eius noctis parte uenissent, ea utique nocte uenissent; cum ergo uenerunt parte eius noctis extrema, ea procul dubio nocte uenerunt. uespere autem; quae lucescit in primam sabbati, non potest nisi tota ipsa nox intellegi: eo igitur uespere uenerunt quae ipsa nocte uenerunt, ipsa autem nocte uenerunt quae noctis ipsius quamuis extrema parte uenerunt.

Nam et ipsum triduum, quo dominus mortuus est et resurrexit, nisi isto loquendi modo, quo a parte totum dici solet, recte intellegi non potest. ipse quippe ait: sicut enim Iona fuit in uentre ceti tribus diebus et tribus noctibus, sic erit et filius hominis in corde terrae tribus diebus et tribus noctibus. conputantur autem tempora, siue ex quo tradidit spiritum, siue ex quo sepultus est, et non occurrit ad liquidum, nisi medium diem, hoc est sabbatum totum diem accipiamus, id est cum sua nocte, illos autem qui eum in medio posuerunt, id est parasceuen et primam sabbati, quem diem dominicum dicimus, a parte totum intellegamus. quid enim iuuat, quod quidam his angustiis coartati et istum locutionis modum, id

est a parte totum, in sanctarum scripturarum soluendis quaestionibus plurimum ualere nescientes noctem uoluerunt adnumerare tres illas horas a sexta usque nonam, quibus sol obscuratus est, et diem tres horas alias, quibus iterum terris est redditus, id est a nona usque ad eius occasum? sequitur enim nox futuri sabbati. qua cum suo die conputata erunt iam duae noctes et duo dies; porro autem post sabbatum sequitur nox primae sabbati, id est inlucescentis diei dominici, in qua tunc dominus resurrexit; erunt ergo duae noctes et duo dies et una nox, etiamsi tota posset intellegi, nec ostenderemus, quod illud diluculum pars eius extrema sit; quapropter nec adnumeratis illis sex horis, quarum tribus sol contenebratus est et tribus eluxit, constabit ratio trium dierum et trium noctium. restat ergo. ut illo scripturarum usitatissimo loquendi modo, quo a parte totum intellegitur, inueniamus extremum diem tempus parasceues, quo crucifixus et sepultus est dominus, et ex ipsa extrema parte totum diem cum sua nocte, qui iam peractus fuerat, accipiamus, medium uero, id est sabbati diem, non a parte, sed integre totum, tertium rursus a parte sua prima, id est a nocte totum cum suo diurno tempore, ac sic erit triduum, quemadmodum illi octo dies, post quos ascendit in montem. quorum medios integros attendentes Mattheus et Marcus dixerunt post sex dies, quod Lucas dixit post octo dies.

Nunc iam cetera uideamus, quemadmodum Mattheo congruant. Lucas enim apertissime duos angelos dicit uisos fuisse a mulieribus, quae uenerunt ad monumentum, quorum singulos intellexeramus commemoratos a duobus, unum a Mattheo, id est illum qui extra monumentum sedebat in lapide, alterum a Marco, id est illum qui intra monumentum sedebat a dextris. sed Lucas ita narrat: et dies erat parasceues et sabbatum inlucescebat. subsecutae autem mulieres, quae cum ipso uenerant de Galilaea, uiderunt monumentum et quemadmodum positum erat corpus eius. et reuertentes parauerunt aromata et unguenta; et sabbato quidem siluerunt secundum mandatum. una autem sabbati ualde diluculo uenerunt ad monumentum portantes quae parauerant aromata et inuenerunt lapidem reuolutum a monumento et ingressae non inuenerunt corpus domini Iesu. et tum est, dum mente consternatae essent de isto, et ecce duo uiri steterunt secus illas in ueste fulgenti. cum timerent autem et declinarent uultum in terram. dixerunt ad illas: quid quaeritis uiuentem cum mortuis? non est hic, sed surrexit. recordamini, qualiter locutus est uobis, cum adhuc in Galilaea esset, dicens: quia oportet filium hominis tradi in manus hominum peccatorum et crucifigi et die tertia resurgere. et recordatae sunt uerborum eius. et egressae a monumento nuntiauerunt haec omnia illis undecim et ceteris omnibus. quomodo ergo singuli uisi sunt sedentes, unus secundum Mattheum foris super lapidem et alter secundum Marcum intus a dextris, cum secundum Lucam duo steterint secus illas, quamuis similia dixerint? possumus quidem adhuc intellegere unum angelum uisum a mulieribus et secundum Mattheum et secundum Marcum, sicut supra diximus, ut eas ingressas in monumentum sic accipiamus, in aliquod scilicet spatium, quod erat aliqua maceria communitum, ut intrari posset ante illum saxeum sepulchri locum. adque ibi uidisse angelum sedentem super lapidem reuolutum a monumento, sicut dicit Mattheus, ut hoc sit sedentem a dextris, quod dicit Marcus, deinde intus ab eis, dum inspicerent locum, in quo iacebat corpus domini,

uisos alios duos angelos stantes, sicut dicit Lucas. similia locutos ad earum exhortandum animum et aedificandam fidem.

Sed uideamus et illa quae Iohannes dicit, utrum uel quemadmodum his congruant. sic ergo narrat Iohannes: una autem sabbati Maria Magdalene uenit mane, cum adhuc tenebrae essent, ad monumentum et uidet lapidem sublatum a monumento. currit ergo et uenit ad Simonem Petrum et ad alium discipulum, quem amabat Iesus, et dicit eis: tulerunt dominum de monumento et nescimus, ubi posuerunt eum. \'exiit ergo Petrus et ille alius discipulus et uenerunt ad monumentum. currebant autem duo simul et ille alius discipulus praecurrit citius Petro et uenit primus ad monumentum. et cum se inclinasset, uidet posita linteamina, non tamen introiit. uenit ergo Simon Petrus sequens eum et introiit in monumentum. et uidet linteamina posita et sudarium, quod fuerat super caput eius. non cum linteaminibus positum, sed separatim inuolutum in unum locum. tunc ergo introiit et ille discipulus, qui uenerat primus ad monumentum, et uidit et credidit. ynondum enim sciebant scripturam, quia oportet eum a mortuis resurgere. abierunt ergo iterum ad semet ipsos discipuli. Maria autem stabat ad monumentum foris plorans. dum ergo fleret, inclinauit se et prospexit in monumentum et uidit duos angelos in albis sedentes unum ad caput et unum ad pedes, ubi positum fuerat corpus Iesu. dicunt ei illi: mulier, quid ploras? dicit eis: quia tulerunt dominum meum et nescio, ubi posuerunt eum. haec cum dixisset, conuersa est retrorsum et uidit legum stantem et non sciebat, quia Iesus est. dicit ei Iesus: mulier, quid ploras? quem quaeris? illa existimans, quia hortulanus est, dicit ei: domine, si tu sustulisti illum, dicito mihi, ubi posuisti eum, et ego eum tollam. dicit ei Iesus: Maria. conuersa illa dicit ei: rabboni, quod dicitur magister. dicit ei Iesus: noli me tangere, nondum enim ascendi ad patrem meum; uade autem ad fratres meos et dic eis: ascendo ad patrem meum et patrem uestrum, ad deum meum et ad deumuestrum. uenit Maria Magdalene adnuntians discipulis: quia uidi dominum et haec dixit mihi. in hac Iohannis narratione dies uel tempus, quo uentum est ad monumentum, cum ceteris conuenit; illud etiam, quod duo angeli uisi sunt, concordat cum Luca; sed quod ille stantes dicit angelos uisos. iste autem sedentes. et cetera, quae illi non dicunt. quomodo hic possint intellegi non discrepare a ceteris et quo ordine gesta sint, nisi diligenter considerentur, repugnantia possunt uideri.

Quapropter haec omnia, quae circa tempus resurrectionis domini facta sunt, secundum omnium euangelistarum testimonia in una quadam narratione, quantum nos dominus adiuuerit, quemadmodum geri potuerint, ordinemus. prima sabbati diluculo, sicut omnes consentiunt, uentum est ad monumentum. iam factum erat, quod solus Mattheus commemorat de terrae motu et lapide reuoluto conterritisque custodibus ita, ut in parte aliqua uelut mortui iacerent. uenit autem, sicut Iohannes dicit, Maria Magdalene sine dubio ceteris mulieribus, quae domino ministrauerant, plurimum dilectione feruentior, ut non inmerito Iohannes solam commemoraret tacitis eis quae cum illa fuerunt, sicut alii testantur. uenit ergo et uidit lapidem sublatum a monumento, antequam aliquid diligentius inspiceret, non dubitans ablatum inde esse corpus Iesu cucurrit, sicut idem dicit Iohannes, et nuntiauit Petro adque ipsi Iohanni. ipse est enim discipulus, quem amabat Iesus. at illi currere coeperunt ad monumentum et praeueniens Iohannes inclinauit se et uidit posita linteamina

nec intrauit: Petrus autem consecutus intrauit in monumentum et uidit linteamina posita et sudarium, quod fuerat super caput eius, non cum linteaminibus positum, sed separatim inuolutum. deinde et Iohannes intrauit et uidit similiter et credidit quod Maria dixerat sublatum esse dominum de monumento. nondum enim sciebat scripturam. quia oportebat eum a mortuis resurgere. abierunt ergo iterum ad semet ipsos discipuli. Maria autem stabat foris ad monumentum plorans, id est ante illum saxei sepulchri locum, sed tamen intra illud spatium, quod iam ingressae fuerant; hortus quippe illic erat, sicut idem lohannes commemorat. tunc uiderunt angelum sedentem a dextris super lapidem reuolutum a monumento, de quo angelo narrant Mattheus et Marcus. tunc eis dixit: nolite timere uos; scio enim, quod Iesum, qui crucifixus est, quaeritis; non est hic, surrexit enim, sicut dixit. uenite et uidete locum, ubi positus erat dominus. et cito euntes dicite discipulis eius, quia surrexit; et ecce praecedit uos in Galilaeam, ibi eum uidebitis. ecce praedixi uobis. quibus similia Marcus quoque non tacuit. ad haec uerba Maria dum fleret, inclinauit se et prospexit in monumentum et uidit duos angelos, sicut dicit Iohannes, in albis sedentes unum ad caput et unum ad pedes, ubi positum fuerat corpus lesu. dicunt ei illi: mulier, quid ploras? dicit eis: quia tulerunt dominum meum et nescio, ubi posuerunt eum. hic intellegendi sunt surrexisse angeli, ut etiam stantes uiderentur, sicut eos Lucas uisos fuisse commemorat, et dixisse secundum eundem Lucam timentibus mulieribus et uultum in terram declinantibus: quid quaeritis uiuentem cum mortuis? non est. hic, sed surrexit. recordamini, qualiter locutus est uobis, cum adhuc in Galilaea esset, dicens: quia oportet filium hominis tradi in manus hominum peccatorum et crucifigi et die tertia resurgere. Se t recordatae sunt uerborum eius. post haec conuersa est retrorsum Maria. e t uidit Iesum stantem, sicut dicit Iohannes, et non sciebat, quia Iesus est dicit ei Iesus: mulier, quid ploras? quem quaeris? illa existimans, quia hortulanus est, dicit ei: domine. si tu sustulisti eum, dicito mihi, ubi posuisti eum, et ego eum tollam. dicit ei Iesus: Maria. conuersa illa dicit ei: rabboni, quod dicitur magister. dicit ei Iesus: noli me tangere, nondum enim ascendi ad patrem meum; uade autem ad fratres meos et die eis: ascendo ad patrem meum et patrem uestrum et deum meum et deum uestrum. tunc egressa est a monumento, hoc est ab illo loco, ubi erat horti spatium ante lapidem effossum, et cum illa aliae, quas secundum Marcum inuaserat tremor et pauor, et nemini quicquam dicebant. tunc iam secundum Mattheum ecce Iesus occurrit illis dicens: hauete. illae autem accesserunt et tenuerunt pedes eius et adorauerunt eum. sic enim colligimus et angelorum allocutionem bis numero eas habuisse uenientes ad monumentum et ipsius domini. semel scilicet illic, quando Maria hortulanum putauit, et nunc iterum, cum eis occurrit in uia, ut eas ipsa repetitione firmaret adque a timore recrearet. tunc ergo ait illis: nolite timere, ite, nuntiate fratribus meis, ut eant in Galilaeam; ibi me uidebunt. uenit ergo Maria Magdalene adnuntians discipulis. quia uidit dominum et haec ei dixit, non solum ipsa, sed et aliae, quas Lucas commemorat, quae nuntiauerunt haec discipulis undecim et ceteris omnibus. et uis a sunt ante illos sicut deliramentum uerba ista, et non credebant illis. his et Marcus adtestatur. nam posteaquam commemorauit eas trementes et pauentes exisse a monumento et nemini quicquam dixisse, adiunxit, quod resurgens dominus apparuerit mane prima sabbati primo Mariae Magdalenae, de qua eiecerat septem demonia, et quia illa uadens nuntiauit his qui cum eo fuerant lugen-

tibus et flentibus, et quia illi audientes. quod uiueret et uisus esset ab ea. non crediderunt. sane Mattheus etiam illud inseruit abscedentibus mulieribus. quae illa omnia uiderant et audierant. uenisse etiam quosdam in ciuitatem de illis custodibus, qui iacuerant uelut mortui. et nuntiasse principibus sacerdotum omnia quae facta erant, hoc est quae etiam illi sentire potuerunt, illos uero congregatos cum senioribus consilio accepto pecuniam copiosam dedisse militibus, ut dicerent, quod discipuli eius uenissent eumque furati essent illis dormientibus. pollicentes etiam securitatem a praeside, qui eos custodes dederat. et illos accepta pecunia fecisse. sicut erant edocti, diuulgatumque esse uerbum istud aput Iudaeos usque in hodiernum diem.

XXV. Iam post resurrectionem quemadmodum apparuerit dominus discipulis considerandum eat, non solum ut elucescat etiam ex hac re conuenientia quattuor euangelistarum, uerum etiam ut cum Paulo apostolo consonent, qui de hac re in prima ad Corinthios epistula ita loquitur: tradidi enim uobis in primis quod et accepi, quia Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum scripturas, et quia sepultus est et quia surrexit tertia die secundum scripturas et quia apparuit Cephae, postea duodecim, deinde apparuit plus quam quingentis fratribus simul, ex quibus plures manent usque adhuc, quidam autem dormierunt; postea apparuit Iacobo, deinde apostolis omnibus; nouissimo autem omnium quasi abortiuo apparuit et mihi. hunc autem ordinem nullus euangelistarum tenuit. unde considerandum est, utrum ordo, quem illi tenuerunt, huic non aduersetur. nam nec ille omnia nec isti omnia dixerunt. quae autem dixerunt omnes utrum nihil inter se repugnent, tantum uidendum est. Lucas enim solus quattuor euangelistarum non dicit a mulieribus uisum dominum. sed tantum modo angelos. Mattheus autem dicit, quod eis occurrerit redeuntibus a monumento. Marcus quoque dicit primo uisum esse Mariae Magdalenae, sicut et Iohannes; sed quomodo ei sit uisus, non dicit. quod explicatur a Iohanne. Lucas autem non solum tacet. ut dixi, eum apparuisse mulieribus, sed etiam duos, quorum fuit unus Cleopas, talia dicit locutos cum illo, antequam agnoscerent eum. tamquam mulieres nihil se aliud quam angelos uidisse nuntiauerint, qui dicebant eum uiuere. ita enim narrat: ecce duo ex ipsis ibant ipsa die in castellum, quod erat in spatio stadiorum sexaginta ab Hierusalem, nomine Emmaus, et ipsi loquebantur ad inuicem de his omnibus quae acciderant. et factum est, dum loquerentur et secum quaererent, etipselesusadpropinquansibat cum illis; oculi autem illorum tenebantur, ne eum agnoscerent. et ait ad illos: qui sunt hi sermones, quos confertis ad inuicem ambulantes, et estis tristes? et respondens unus, cui nomen Cleopas, dixit ei: tu solus peregrin us es in Hierusalem et non cognouisti quae facta sunt in illa his diebus? quibus ille dixit: quae? et dixerunt: de Iesu Nazoreno, qui fuit uir propheta potens in opere et sermone coram deo et omni populo, et quomodo eum tradiderunt summi sacerdotum et principes nostri in damnationem mortis et crucifixerunt eum. nos autem sperabamus, quia ipse est redemturus Israhel. et nunc super haec omnia tertia dies hodie quod haec facta sunt. sed et muliores quaedam ex nostris terruerunt nos, quae ante lucem fuerunt ad monumentum, et non inuento corpore eius uenerunt dicentes se etiam uisionemangelorumuidisse, qui dicunt eum uiuere. et abierunt quidam ex nostris ad monumentum. et ita inuenerunt sicut mulieres dixerunt, ipsum uero non uiderunt. haec secundum Lucam

ita narrant, ut meminisse ac recolere potuerunt quod a mulieribus dictum erat uel a discipulis, qui cucurrerant ad monumentum, quando eis nuntiatum est, quod ablatum inde sit corpus eius. et ipse quidem Lucas Petrum tantum dicit cucurrisse ad monumentum et procumbentem uidisse linteamina sola posita et abisse -secum mirantem quod factum fuerat. hoc autem de Petro commemorat, priusquam narret de his duobus, quos inuenit in uia, posteaquam narrauit de mulieribus, quae uiderant angelos et ab eis audierant, quod resurrexisset Iesus, tamquam tunc Petrus ad monumentum cucurrerit. sed intellegitur hoc Lucas recapitulando posuisse de Petro. tunc enim cucurrit Petrus ad monumentum, quando et Iohannes, cum tantum modo a mulieribus, praecipue a Maria Magdalene, nuntiatum eis fuerat de corpore ablato; tunc autem illa nuntiauerat, quando uidit lapidem auulsum a monumento; et postea facta sunt haec de uisione angelorum adque ipsius domini, qui bis numero apparuerat mulieribus, semel ad monumentum et iterum occurrens reuertentibus a monumento. hoc autem antequam duobus illis in uia uisus fuisset, quorum erat unus Cleopas. namque et Cleopas loquens cum domino, quem nondum agnoscebat, non Petrum dixit isse ad monumentum; sed abierunt quidam ex nostris, inquit, ad monumentum et ita inuenerunt, sicut mulieres dixerunt, quod et ipse recapitulando intellegitur dixisse, illud scilicet quod primo mulieres nuntiauerunt Petro et Iohanni de ablato corpore domini. ac per hoc cum ipse Lucas Petrum dixerit cucurrisse ad monumentum et Cleopan dixisse ipse rettulerit, quod quidam eorum ierant ad monumentum, intellegitur adtestari Iohanni, quod duo ierant ad monumentum; sed Petrum solum primo commemorauit, quia illi primitus Maria nuntiauerat. item potest mouere, quod Petrum non intrantem, sed procumbentem dicit idem Lucas uidisse sola linteamina et discessisse mirantem, cum Iohannes dicat se potius ita uidisse, hoc est discipulum illum, quem diligebat Iesus, non intrasse in monumentum. quo prior uenerat, sed, cum se inclinasset, uidisse posita linteamina; sed et se ipsum postea dicit intrasse. ita et Petrus intellegendus est primo procumbens uidisse, quod Lucas commemorat, Iohannes tacet; post autem ingressus, sed ingressus tamen, antequam Iohannes intraret, ut omnes uerum dixisse sine ulla repugnantia repperiantur.

Ordo ergo rerum qui esse potuit, quemadmodum dominus excepto quod iam mulieribus locutus erat etiam maribus discipulis uisus fuerit, secundum testimonia non solum quattuor euangelistarum, sed etiam Pauli apostoli contexendus et demonstrandus est. omnium ergo uirorum primo apparuisse intellegitur Petro, ex his dumtaxat omnibus quos euangelistae quattuor et Paulus apostolus commemorauerunt. ceterum si apparuit alicui eorum prius quam Petro, quod omnes tacuerunt, quis uel dicere audeat uel negare? neque enim et Paulus dixit: apparuit primo Cephae,\' sed: apparuit, inquit, Cephae, postea duodecim, deinde apparuit plus quam quingentis fratribus simul. sic autem non apparet quibus duodecim, quemadmodum nec quibus quingentis. fieri enim potest, ut de turba discipulorum fuerint isti duodecim nescio qui. nam illos quos apostolos nominauit non iam duodecim, sed undecim diceret, sicut nonnulli etiam codices habent, quod credo perturbatos homines emendasse putantes de illis duodecim apostolis dictum, qui iam Iuda extincto undecim erant. sed siue illi codices uerius habeant qui undecim habent, siue alios quosdam duodecim apostolus Paulus uelit intellegi, siue sacratum illum numerum etiam in undecim stare uoluerit, quia

duodenarius in eis numerus ita mysticus erat ut non posset in locum Iudae nisi alius, id est Matthias, ad conseruandum sacramentum eiusdem numeri subrogari. quodlibet ergo eorum sit, nihil inde existit quod ueritati uel istorum alicui ueracissimo narratori repugnare uideatur. probabiliter tamen creditur, postea quam Petro apparuit, deinde apparuisse istis duobus, quorum erat unus Cleopas. de quibus Lucas totum narrat, Marcus autem breuiter ita perstringit: post haec autem, inquit. duobus ex eis ambulantibus ostensus est in alia effigie euntibus in uillam. castellum quippe illud non absurde accipimus etiam uillam potuisse appellari, quod nunc iam appellatur ipsa Bethlem, quae ciuitas antea uocitata est, quamuis nunc sit honoris amplioris nomine domini. qui in illa natus est. sic per ecclesias omnium gentium diffamato. et in codicibus quidem Graecis magis agrum inuenimus quam uillam; agri autem nomine non castella tantum. uerum etiam municipia et coloniae solent uocari extra ciuitatem, quae caput et quasi mater est ceterarum, unde metropolis appellatur.

Quod autem ait Marcus, eis in alia effigie dominum apparuisse, hoc Lucas dicit, quod eorum oculi tenebantur. ne agnoscerent eum. oculis quippe eorum acciderat aliquid, quod ita manere permissum est usque ad fractionem panis. certi mysterii causa, ut eis in illo alia ostenderetur effigies et sic eum non nisi in fractione panis agnoscerent, sicut Luca narrante monstratur. pro merito quippe mentis eorum adhuc ignorantis, quod oportebat Christum mori et resurgere. simile aliquid eorum oculi passi sunt, non ueritate fallente, sed ipsis ueritatem percipere non ualentibus et aliud quam res est opinantibus, ne quisquam se Christum agnouisse arbitretur, si eius corporis particeps non est, id est ecclesiae, cuius unitatem in sacramento panis commendat apostolus dicens: unus panis, unum corpus multi sumus, ut, cum eis benedictum panem porrigeret, aperirentur oculi eorum et agnoscerent eum, aperirentur utique ad eius cognitionem remoto scilicet inpedimento. quo tenebantur, ne agnoscerent. neque enim clausis oculis ambulabant; sed inerat aliquid quo non sinerentur agnoscere quod uidebant, quod scilicet et caligo et aliquis umor efficere solet. non quia dominus non poterat transformare carnem suam, ut alia re uera esset effigies, non quam solebant illi contueri, quando quidem et ante passionem suam transformatus est in monte, ut facies eius claresceret sicut sol — quale uult enim corpus de qualicumque corpore uerum de uero facit qui de aqua uera uinum uerum fecit —, sed non ita fecerat, cum apparuit illis duobus in alia effigie. non enim sicut erat apparuit eis quorum oculi tenebantur, ne agnoscerent eum. non autem incongruenter accipimus hoc inpedimentum in oculis eorum a satana fuisse, ne agnosceretur Iesus; sed tamen a Christo est facta permissio usque ad sacramentum panis, ut unitate corporis eius participata remoueri intellegatur inpedimentum inimici, ut Christus possit agnosci.

Nam ipsos esse istos, de quibus et Marcus narrat, credendum est, quia dicit ipsos euntes nuntiasse ceteris, sicut Lucas eos dicit surgentes eadem hora regressos esse in Hierusalem et inuenisse congregatos undecim et eos qui cum ipsis erant dicentes, quod surrexit dominus uere et apparuit Simoni, et tunc etiam ipsos narrasse, quae gesta erant in uia et quomodo eum cognouerint in fractione panis. iam ergo erat fama, quod resurrexerat Iesus ab illis mulieribus facta et a Simone Petro, cui iam apparuerat; hoc etenim isti duo inuenerunt

loquentes, ad quos in Hierusalem uenerunt. fieri itaque potest, ut timore prius in uia noluerint dicere, quod eum audierant resurrexisse, quando tantum modo angelos dixerunt uisos esse mulieribus; ignorantes enim, cum quo loquerentur, merito possent esse solliciti, ne quid passim de Christi resurrectione iactantes in manus inciderent Iudaeorum. quod autem ait Marcus: adnuntiauerunt ceteris nec illis crediderunt, cum Lucas dicat, quod iam inde loquebantur uere resurrexisse dominum et Simoni apparuisse, quid intellegendum est nisi aliquos ibi fuisse qui hoc nollent credere? cui autem non eluceat praetermisisse Marcum quae Lucas narrando explicauit, hoc est quae cum illis locutus fuerit Iesus, antequam agnoscerent eum, et quomodo eum in fractione panis agnouerint? quando quidem mox ut dixit eis apparuisse in alia effigie euntibus in uillam continuo coniunxit: et illi euntes nuntiauerunt ceteris nec illis crediderunt, quasi possent nuntiare quem non agnouerant aut possent agnoscere quibus alia effigies eius apparuerat. quomodo ergo eum agnouerunt, ut nuntiare possent, Marcus sine dubio praetermisit. quod ideo memoriae commendandum est, ut adsuescamus aduertere euangelistarum morem ita praetermittentium quae non commemorant et coniungentium quae commemorant, ut eis qui usum in hac consideratione non habent non aliunde maxime error oriatur, quo putent eos non sibi congruere.

Lucas ergo sequitur et dicit: dum haec autem locuntur, Iesus stetit in medio eorum et dicit eis: pax uobis, ego sum, nolite timere. conturbati uero et conterriti existimabant se spiritum uidere. et dixit eis: quid turbati estis et cogitationes ascendunt in corde uestro? uidete manus meas et pedes, quia ipse ego sum; palpate et uidete, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me uidetis habere. et cum hoc dixisset, ostendit eis manus et pedes. hanc ostensionem domini post resurrectionem intellegitur et Iohannes commemorasse sic loquens: cum esset ergo sero die illo una sabbatorum et fores essent clausae, ubi erant discipuli propter metum Iudaeorum, uenit Iesus et stetit in medio et dixit eis: pax uobis. et hoc cum dixisset, ostendit eis manus et latus. ac per hoc his uerbis Iohannis possunt coniungi ea quae Lucas dicit, idem autem Iohannes praetermittit. ita enim Lucas sequitur: adhuc autem illis non credentibus et mirantibus prae gaudio dixit: habetis hic aliquid quod manducetur? at illi optulerunt ei partem piscis assi et fauum mellis. et cum manducasset coram eis, sumens reliquias dedit eis. his item uerbis possunt adiungi quae Lucas tacet, dicit autem Iohannes: gauisi sunt ergo discipuli uiso domino. dixit ergo eis iterum: pax uobiscum; sicut misit me pater, et ego mitto uos. hoc cum dixisset, insuflauit et dixit eis: accipite spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittunter eis, et quorum detinueritis, detenta sunt. his rursus adiungamus quae Iohannes praetermisit, Lucas commemorat: et dixit ad eos: haec sunt uerba, quae locutus sum ad uos, cum adhuc essem uobiscum, quoniam necesse est impleri omnia quae scripta sunt in lege Moysi et prophetis et psalmis de me. tunc aperuit illis sensum, ut intellegerent scripturas, et dixit eis: quoniam sic scriptum est et sic oportebat Christum pati et resurgere a mortuis die tertia et praedicari in nomine eius paenitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes incipientibus ab Hierusalem; uos autem estis testes horum. et ego mitto promissum patris mei in uos: uos autem sedete, quoad usque induamini uirtutem ei alto. ecce quomodo commemorauit et Lucas promissionem spiritus sancti, quam non inuenimus a domino factam

nisi in euangelio Iohannis. quod non praetereunter aduertendum est, ut meminerimus, quemadmodum sibi euangelistae inuicem adtestentur de quibusdam etiam quae ipsi non dicunt et tamen dicta nouerunt. post haec Lucas quae gesta sunt omnia praetermittit nec omnino commemorat, nisi quando Iesus. ascendit in caelum, adque id tamen ita coniungit, quasi hoc sequatur haec uerba, quae dixit, cum hoc gestum sit una sabbatorum, quo die dominus resurrexit, illud autem quadragensimo die, sicut idem ipse Lucas in apostolorum actibus narrat. quod autem dicit Iohannes non cum illis fuisse tunc apostolum Thomam, cum secundum Lucam duo illi, quorum erat unus Cleopas, regressi Hierusalem inuenerint congregatos undecim et eos qui cum ipsis. erant, procul dubio intellegendum est, quod inde Thomas exierit, antequam eis dominus haec loquentibus appareret.

Hinc iam Iohannes aliam commemorat sui demonstrationem a domino discipulis factam post dies octo, ubi erat et Thomas. qui prius eum non uiderat. et post dies octo, inquit, iterum erant discipuli eius intus et Thomas cum eis; uenit Iesus ianuis clausis et stetit in medio et dixit: pax uobis. deinde dicit Thomae: infer digitum tuum huc et uide manus meas et adfer manum tuam et mitte in latus meum et noli esse incredulus, sed fidelis. respondit Thomas et dixit ei: dominus meus et deus meus. dicit ei Iesus: quia uidisti, credidisti; beati qui non uiderunt et crediderunt. hanc secundam domini uisionem erga discipulos factam, id est quam secundo loco Iohannes commemorat, aput Marcum possemus agnoscere breuiter eam, sicuti adsolet, perstringentem, nisi moueret, quod ibi ait: nouissime recumbentibus illis undecim apparuit, non ideo quia Iohannes tacuit recumbentes - potuit enim hoc praetermittere —, sed quia iste dixit: nouissime, quasi ultra iam non eis apparuerit, cum adhuc Iohannes tertiam sit eius narraturus demonstrationem ad mare Tiberiadis; deinde, quod dicit idem Marcus, exprobrans illis incredulitatem illorum et duritiam cordis, quia his qui uiderant\' eum resurrexisse non crediderant, illis uidelicet duobus, quibus in uillam euntibus apparuit, posteaquam resurrexit, et Petro, cui primitus eum apparuisse aput Lucam inuestigatum est, fortasse et Mariae Magdalenae et aliis mulieribus, quae cum illa erant, quando eis et ad monumentum apparuit et\' inde redeuntibus in itinere occurrit. nam ita contexit narrationem idem Marcus, cum commemorasset breuiter de duobus illis, quibus apparuit in uillam euntibus, quod nuntiassent ceteris nec illis creditum esset: nouissime, inquit, recumbentibus illis undecim apparuit et exprobrauit incredulitatem illorum et duritiam cordis, quia his qu-l uiderant eum resurrexisse non crediderant. quomodo ergo n\'ouissime, quasi iam ultra eum non uiderint nouissimum quippe illud est, quo dominum apostoli in terra. uiderunt, quando ascendit in caelum, quod factum est quadragensimo die post eius resurrectionem. num quidnam tunc . exprobraturus erat, quod non credidissent eis qui eum uiderant resurrexisse, quando iam et ipsi post resurrectionem totiens eum uiderant et maxime ipso die resurrectionis eius, id est una sabbati iam circa noctem, sicut Lucas Iohannesque commemorant? remanet igitur, ut intellegamus eundem diem resurrectionis eius, id est unam sabbati, quando eum post diluculum uidit Maria et aliae cum illa mulieres, quando etiam Petrus, quando et illi duo, quorum erat unus Cleopas. quos uidetur etiam idem Marcus commemorare, quando iam circa noctem illi undecim praeter Thomam et qui cum eis erant, quando eis et isti quod uiderant narrauerunt, nunc etiam

Marcum more suo breuiter commemorare uoluisse et ideo dixisse nouissime, quia ipso die hoc nouissimum fuit iam incipiente nocturno tempore, posteaquam illi de castello, ubi eum in fractione panis agnouerant, redierunt in Hierusalem et inuenerunt. sicut dicit Lucas, illos undecim et eos qui cum illis erant iam conloquentes de resurrectione domini et quod uisus fuerit Petro, quibus et ipsi narrauerunt quod in uia gestum erat et quomodo eum agnouerunt in fractione panis. sed erant ibi utique non credentes, unde uerum est quod Mareus dicit: nec illis crediderunt. his ergo iam, sicut Marcus dicit, discumbentibus et adhuc inde, sicut Lucas dicit, loquentibus stetit in medio eorum dominus et ait illis: pax uobiscum, sicut Lucas et Iohannes. fores autem clausae erant, cum ad eos intrauit, quod solus Iohannes commemorat. uerbis itaque domini, quae tunc eum locutum esse discipulis Lucas Iohannesque dixerunt, interponitur et illa exprobratio, de qua Marcus dicit, quod non crediderint eis qui eum resurrexisse uiderant.

Sed hoc rursus mouet, quomodo discumbentibus undecim dicit apparuisse Marcus, si illud tempus est diei dominici iam noctis initio, quod Lucas Iohannesque meminerunt. aperte quippe Iohannes dicit non cum eis tunc fuisse apostolum Thomam, quem credimus exisse inde. antequam dominus ad eos intraret, posteaquam illi duo redeuntes de castello cum ipsis undecim conlocuti sunt, sicut aput Lucam inuenitur. sed Lucas in sua narratione dat locum, quo possit intellegi, dum haec loquerentur, prius inde exisse Thomam et postea dominum intrasse. Marcus autem, qui dicit: nouissime recumbentibus illis undecim apparuit, etiam Thomam illic fuisse cogit fateri. nisi forte quamuis uno absente undecim tamen uoluit appellare, quia eadem tunc apostolica societas hoc numero nuncupabatur, antequam Matthias in locum Iudae subrogaretur. aut si hoc durum est sic accipere, illud ergo accipiamus, post multas demonstrationes eius, quibus per dies quadraginta discipulis praesentatus est, eum etiam nouissime recumbentibus illis undecim apparuisse, id est ipso quadragensimo die, et quoniam iam erat ab eis ascensurus in caelum. hoc eis illo die maxime exprobrare uoluisse, quia his qui uiderant eum resurrexisse non crediderant, antequam ipsi eum uiderent, cum utique post ascensionem suam praedicantibus illis euangelium etiam gentes quod non uiderunt fuerant crediturae. post illam quippe exprobrationem secutus ait idem Marcus: et dixit eis: euntes in mundum uniuersum praedicate euangelium omni creaturae. qui crediderit et baptizatus fuerit saluus erit; qui uero non crediderit condemnabitur. hoc ergo praedicaturi. quoniam qui non crediderit condemnabitur, cum id utique non crediderit quod non uidit. nonne ipsi primitus fuerant obiurgandi, quod, antequam dominum uidissent, non crediderunt eis quibus prius apparuisset?

Hanc autem nouissimam fuisse corporaliter in terra praesentationem domini apostolis etiam illud admonet, ut credamus. quod ita sequitur idem Marcus: signa autem eos qui crediderint haec sequentur: in nomine meo demonia eicient. linguis loquentur nouis; serpentes tollent et, si mortiferum quid biberint, non eos nocebit; super aegrotos manus inponent, et bene habebunt. deinde subiungit: et dominus quidem, postquam locutus est eis, adsumtus est in caelum et sedit a dextris dei. illi autem profecti praedicauerunt ubique domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis. cum ergo dicit: et dominus quidem, postquam locutus est eis, adsumtus est in caelum, satis uidetur ostendere

nouissimum cum illis in terra hunc eum habuisse sermonem, quamuis non omni modo ad id coartare uideatur. non enim ait \'postquam haec locutus est eis\\ sed: postquam locutus est eis, unde admittit, si necessitas cogeret, non istam fuisse nouissimam locutionem nec istum fuisse nouissimum diem, quo eis in terra praesens fuit, sed ad omnia quae cum eis omnibus illis diebus locutus est posse pertinere quod dictum est: postquam locutus est eis, adsumtus est in caelum. sed quia ea quae supra diximus magis suadent hunc nouissimum diem fuisse, quam ut intellegantur undecim, qui Thoma absente decem fuerunt, ideo post hanc locutionem, quam Marcus commemorat, adiunctis etiam consequenter illis uerbis uel discipulorum uel ipsius, quae commemorantur in actibus apostolorum, credendum est adsumtum dominum in caelum, quadragensimo scilicet die post diem resurrectionis eius.

Iohannes autem, quamuis fateatur multa se praetermisisse quae fecit Iesus, uoluit tamen etiam tertiam eius repraesentationem discipulis post resurrectionem factam commemorare ad mare Tiberiadis, septem scilicet discipulis, Petro, Thomae, Nathanaheli, filiis Zebedaei et aliis duobus quos nominatim non expressit, cum piscarentur, quando iussu eius retia mittentes in dextram partem extraxerunt magnos pisces centum quinquaginta tres, quando etiam Petrum ter interrogauit, utrum ab illo amaretur, et ei pascendas commendauit oues suas et de eius ipsius passione praedixit et de ipso Iohanne ait: sic eum uolo manere, donec ueniam. ad hoc Iohannes euangelium suum terminauit.-

Iam nunc quaerendum est, quando primum uisus sit a discipulis in Galilaea, quia et hoc quod tertio narrat Iohannes in Galilaea factum est ad mare Tiberiadis, quod facile uidet qui recolit illud miraculum de panibus quinque, quod ita narrare incipit idem Iohannes: post haec abiit Iesus trans mare Galilaeae Tiberiadis. ubi autem putari potest primum a discipulis post resurrectionem uideri debuisse nisi in Galilaea. si recolantur uerba illius angeli, qui secundum Mattheum uenientibus ad monumentum mulieribus ita loquitur: nolite timere uos; scio enim, quod Iesum, qui crucifixus est, quaeritis; non est hic, surrexit enim, sicut dixit; uenite, uidete locum, ubi positus erat dominus. \'et cito euntes dicite discipulis eius, quia surrexit; et ecce praecedit uos in Galilaeam; ibi eum uidebitis. ecce dixi uobis, item secundum Marcum: siue ipse sit angelus siue alius: nolite, inquit, expauescere. Iesum quaeritis Nazarenum crucifixum; surrexit, non est hic: eccelocus, ubi posuerunt eum. sed ite, dicite discipulis eius et Petro, quia praecedit uos in Galilaeam; ibi eum uidebitis, sicut dixit uobis? haec uerba ita uidentur sonare, quod Iesus non erat se demonstraturus post resun-ectionem discipulis nisi in Galilaea. quam demonstrationem nec ipse Marcus commemorauit, qui eum dixit mane prima sabbati apparuisse primo Mariae Magdalenae et illam nuntiasse discipulis his qui cum eo fuerant lugentibus et flentibus, illos autem non credidisse, post haec deinde duobus ex his apparuisse euntibus in uillam et illos ceteris nuntiasse, quod factum est, sicut Lucas et Iohannes coattestantur, in Hierusalem eodem ipso die resurrectionis iam noctis initio: deinde uenit ad illam eius manifestationem, quam nouissimam dicit, recumbentibus illis undecim; post hanc dicit eum adsumtum in caelum. quod factum scimus in monte oliueti non longe ab Hierusalem. nusquam igitur commemorat Marcus conpletum quod ab angelo praenuntiatum esse testatur. Mattheus uero nihil aliud dicit nec ullum alium locum omnino commemorat uel ante uel postea, ubi discipuli.

posteaquam resurrexit, uiderint dominum nisi in Galilaea secundum angeli praedictionem. denique cum insinuasset. quid ab angelo mulieribus dictum sit. et illis abeuntibus subiecisset, quid de corruptis ad mentiendum custodibus gestum sit, continuo, tamquam nihil aliud sequeretur — quia et re uera sic erat dictum ab angelo: surrexit et ecce praecedit uos in Galilaeam, ibi eum uidebitis, ut nihil aliud sequi debuisse uideatur —: undecim autem, inquit, discipuli abierunt in Galilaeam in montem. ubi constituerat illis Iesus. et uidentes eum adoraueruut; quidam autem dubitauerunt. accedens accedens Iesus locutus est eis dicens: data est mihi omnis potestas in caelo et in terra. euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos in nomine patris et filii et spiritus sancti, docentes eos seruare omnia quaecumque mandaui uobis. et ecce ego uobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi. ita Mattheus clausit euangelium suum.

Ac per hoc, si aliorum consideratae narrationes ad diligentiorem inquisitionem non conpellerent, nihil aliud arbitraremur nisi dominum post resurrectionem nusquam praeter in Galilaea primum esse a discipulis uisum. item, si Marcus de illa praenuntiatione angeli tacuisset, posset cuiquam putari Mattheus ideo dixisse discipulos abisse in Galilaeam in montem adque ibi adorasse dominum, ut impletum uideretur quod ipse per angelum mandatum ac praenuntiatum esse narrauerat. nunc autem et Lucas ac Iohannes satis dilucide manifestantes ipso die resurrectionis eius uisum esse dominum in Hierusalem a discipulis suis, unde ita longe est Galilaea, ut uno die ab eis utroque loco uideri non posset, et Marcus illam quidem praedictionem angeli similiter narrans, in Galilaea uero uisum a discipulis dominum post resurrectionem nusquam commemorans uehementer cogunt quaerere, quemadmodum dictum sit: ecce praecedit uos in Galilaeam, ibi eum uidebitis. nam et ipse Mattheus si omnino non diceret undecim discipulos abisse in montem in Galilaeam, ubi constituerat eis Iesus, et illic eum uidisse adque adorasse, nihil ex hac praedictione conpletum ad litteram putaremus, sed totum figurata significatione praedictum, sicut illud secundum Lucam: ecce hodie et eras eicio demonia et sanitates perficio et tertia die consummabor, quod ad litteram certum est non esse conpletum. item si angelus dixisset: (praecedit uos in Galilaeam, ibi primum eum uidebitis\' aut \'ibi tantum eum uidebitis\' aut \'nonnisi ibi eum uidebitis*, ceteris euangelistis Mattheus sine dubio repugnaret; cum uero dictum est: ecce praecedit uos in Galilaeam, ibi eum uidebitis, nec expressum est, quando id futurum esset, utrum quam primum, antequam alibi ab eis uisus esset, an, posteaquam eum alicubi etiam praeter Galilaeam uidissent, idque ipsum, quod discipulos Mattheus dicit isse in Galilaeam in montem, non exprimit diem nec narrandi ordinem ita contexit, ut necessitatem ingerat nihil aliud intellegendi quam hoc primitus factum, non aduersatur quidem narrationibus ceterorum et dat eis intellegendis adque accipiendis locum. uerum tamen quod dominus non ubi primum se demonstraturus erat, sed in Galilaea, ubi necessario postea uisus est, se uidendum mandauit et per angelum dicentem: ecce praecedit uos in Galilaeam, ibi eum uidebitis, et per se ipsum dicens: ite, nuntiate fratribus meis, ut eant in Galilaeam, ibi me uidebunt, quemuis fidelem facit intentum ad quaerendum, in quo mysterio dictum intellegatur.

Sed prius considerandum est, quando etiam corporaliter in Galilaea uideri potuerit dicente Mattheo: undecim autem discipuli abierunt in Galilaeam in montem, ubi constituerat eis dominus, l\'let uidentes eum adorauerunt. quidam autem dubitauerunt. quia enim non ipso die. quo resurrexit, manifestum est; nam in Hierusalem uisum esse eo die initio noctis Lucas et Iohannes apertissime consonant, Marcus autem non aperte. quando ergo uiderunt dominum in Galilaea? non secundum id quod dicit Iohannes ad mare Tiberiadis — tunc enim septem fuerunt et piscantes inuenti sunt —, sed secundum id quod dicit Mattheus, ubi erant undecim in monte, quo eos secundum praedictionem angeli Iesus praecesserat. nam ita narrare apparet, quod illic eum reppererint, quia utique secundum constitutum praecesserat. non ergo ipso die, in quo resurrexit, neque in consequentibus octo diebus, post quos dicit Iohannes discipulis apparuisse dominum, ubi eum primo uidit Thomas, qui eum non uiderat die resurrectionis eius. nam utique si intra eosdem octo dies eum in monte Galilaeae iam illi undecim uiderant, quomodo post octo dies eum primum uidit Thomas, qui in illis undecim fuerat? nisi quis dicat non illos undecim, qui iam tunc apostoli uocabantur, sed discipulos illic undecim fuisse ex multo numero discipulorum. soli quippe adhuc uocabantur apostoli illi undecim, sed non soli erant discipuli. potest ergo fieri, ut non omnes, sed aliqui eorum ibi fuerint, alii uero discipuli cum eis ita, ut undecim conplerentur, ac sic non ibi fuisse Thomam. qui post illos dies octo primo dominum uidit. Marcus quippe, quando illos undecim memorauit, non utcumque undecim, sed illis, inquit, undecim apparuit. Lucas etiam: regressi sunt, inquit, Hierusalem et inuenerunt congregatos undecim et eos qui cum ipsis erant. et iste ostendit illos undecim, hoc est apostolos fuisse. nam cum adiunxit: et eos qui cum ipsis erant, satis utique declarauit eminentius illos undecim appellatos, cum quibus erant ceteri, ac per hoc illi intelleguntur qui iam uocabantur apostoli. hoc proinde fieri potuit, ut ex numero apostolorum et aliorum discipulorum undecim discipuli conplerentur, qui uiderent intra illos octo dies in Galilaeae monte Iesum.

Sed occurrit aliud quod obsistat. lobannes enim, quando commemorauit non in monte ab undecim, sed ad mare Tiberiadis a septem piscantibus uisum esse dominum, hoc iam tertio. inquit, manifestatus est Iesus discipulis, cum resurrexisset a mortuis. si autem acceperimus intra illos octo dies, antequam Thomas eum uidisset, ab undecim quibusque discipulis dominum uisum, non erit hoc ad mare Tiberiadis tertio manifestatum esse, sed quarto. quod quidem cauendum est, ne quis existimet tertio Iohannem dixisse, tamquam tres solae factae fuerint manifestationes eius; sed hoc intellegendus est ad numerum dierum rettulisse, non ad numerum ipsarum manifestationum nec continuorum dierum, sed per interualla, sicut idem ipse testatur. nam primo ipso die resurrectionis suae, excepto quod a mulieribus uisus est, id est quod in euangelio claret, ter se manifestauit, semel Petro, iterum duobus illis, quorum erat unus Cleopas, tertio plurimis iam inde conloquentibus noctis exordio, sed hoc totum Iohannes ad unum diem referens semel conputat; iterum autem, hoc est alio die, quando eum uidit et Thomas; tertio uero ad mare Tiberiadis, hoc est tertio die manifestationis eius, non tertia manifestatione. ac per hoc post haec omnia cogimur intellegere factum esse. quod eum in monte Galilaeae secundum Mattheum undecim discipuli

uiderunt, quo eos secundum constitutum praecesserat, ut inpleretur etiam ad litteram quod et per angelum et per se ipsum praedixerat.

Inuenimus itaque aput quattuor euangelistas deciens commemoratum dominum uisum esse ab hominibus post resurrectionem: semel ad monumentum mulieribus, iterum eisdem regredientibus a monumento in itinere, tertio Petro, quarto duobus euntibus in castellum, quinto pluribus in Hierusalem ubi non erat Thomas, sexto ubi eum uidit Thomas, septimo ad mare Tiberiadis, octauo in monte Galilaeae secundum Mattheum, nono, quod dicit Marcus, nouissime recumbentibus, quia iam non erant in terra cum illo conuiuaturi, decimo in ipso die, non iam in terra, sed eleuatum in nubem, cum in caelum ascenderet, quod Marcus et Lucas commemorant, Marcus quidem post illud, quod eis discumbentibus apparuit, ita continuans, ut diceret: et dominus quidem postquam locutus est eis, adsumptus est in caelum, Lucas autem praetermissis omnibus quae per quadraginta dies agi ah illo cum discipulis potuerunt illi primo diei resurrectionis eius, quando in Hierusalem pluribus apparuit, coniungit tacite nouissimum diem, quo ascendit in caelum, ita narrans: eduxit autem illos foras in Bethaniam et eleuatis manibus suis benedixit eis. et factum est, cum benediceret eis, recessit ab eis et ferebatur in caelum. uiderunt ergo eum praeter quod in terra uiderant, etiam cum ferretur in caelum. totiens ergo in euangelicis libris commemoratus est ab hominibus uisus, antequam ascendisset in caelum: in terra scilicet nouiens et in aere semel ascendens.

Sed non omnia scripta sunt, sicut Iohannes fatetur. crebra enim erat eius cum illis conuersatio per dies quadraginta, priusquam ascendisset in caelum. non tamen eis per omnes quadraginta continuos apparuerat. nam post diem primum resurrectionis eius alios octo dies interuenisse dicit Iohannes, post quos eis rursus apparuit, tertio autem ad mare Tiberiadis. fortassis continuo consequenti die — nihil enim repugnat — et deinde, quando uoluit, constituens eis, quod et ante praedixerat, ut eos in Galilaeae montem praecederet, adque omnino per illos quadraginta dies, quotiens uoluit, quibus uoluit. quemadmodum uoluit; sicut Petrus dicit, quando eum Cornelio et his qui cum illo fuerant praedicabat: qui simul, inquit, manducauimus et bibimus cum illo, posteaquam resurrexit a mortuis, per dies quadraginta, non quod cotidie per dies quadraginta cum illo manducassent et bibissent; nam erit contrarium Iohanni, qui octo dies illos interposuit, quibus eis uisus non est, ut tertio manifestaretur ad mare Tiberiadis. inde iam etiam si cotidie illis uisus et cum illis conuiuatus est, nihil repugnat. et fortasse ideo dictum est: per quadraginta dies, qui quater deni sunt in mysterio uel totius mundi uel totius temporalis saeculi, quia et illi primi decem dies, in quibus erant illi octo dies, a parte totum possunt more scripturarum non dissone conputari.

Conferatur ergo et quod ait apostolus Paulus, utrum nihil adferat quaestionis. resurrexit, inquit, tertio die secundum scripturas et apparuit Cephae. non dixit l\'primo apparuit Cephae,\' nam esset contrarium, quod primo mulieribus apparuisse in euangelio legitur. postea, inquit, duodecim quibuslibet, qua hora libet, ipso tamen resurrectionis die. deinde apparuit plus quam quingentis fratribus simul, siue isti cum illis undecim erant congregati

clausis ostiis propter metum Iudaeorum, unde cum exisset Thomas, uenit ad eos Iesus, siue post octo illos dies quando libet, nihil habet aduersi. postea, inquit, apparuit Iacobo, non tunc autem primum accipere debemus uisum esse Iacobo, sed aliqua propria manifestatione singulariter. deinde apostolis omnibus, nec illis tunc primum, sed iam ut familiarius conuersaretur cum eis usque ad diem ascensionis suae. nouissimo autem omnium, inquit, quasi abortiuo apparuit et mihi, sed hoc iam de caelo post non paruum tempus ascensionis suae.

Nunc iam uideamus, quod distuleramus, cuius mysterii gratia secundum Mattheum et Marcum resurgens ita mandauerit : praecedam uos in Galilaeam, ibi me uidebitis, quod etsi conpletum est, tamen post multa conpletum est, cum sic mandatum sit — quamquam sine praeiudicio necessitatis —, ut aut hoc solum aut hoc primum expectaretur fieri debuisse. procul dubio ergo, quoniam uox est ista non euangelistae narrantis, quod ita factum sit, sed angeli ex mandato domini et ipsius postea domini, euangelistae autem narrantis, sed quod ita ab angelo et a domino dictum sit, prophetice dictum accipiendum est. Galilaea namque interpretatur uel \'transmigratio\' uel \'reuelatio.\' prius itaque secundum transmigrationis significationem quid aliud occurrit intellegendum praecedit uos in Galilaeam, ibi eum uidebitis, nisi quia Christi gratia de populo Israhel transmigratura erat ad gentes? quibus apostoli praedicantes euangelium nullo modo crederentur, nisi eis ipse dominus uiam in cordibus hominum praepararet; et hoc intellegitur: praecedit uos in Galilaeam. quod autem gaudentes mirarentur disruptis et euictis difficultatibus aperiri sibi ostium in domino per inluminationem fidelium, hoc intellegitur: ibi eum uidebitis, id est ibi membra eius inuenietis, ibi uiuum corpus eius in his qui uos susceperint agnoscetis\'. secundum illud autem quod Galilaea interpretatur :\'reuelatio\' non iam in forma serui intellegendum est, sed in illa in qua aequalis est patri, quam promisit aput Iohannem dilectoribus suis, cum diceret: et ego diligam eum et ostendam me ipsum illi. non utique secundum id quod iam uidebant et quod etiam resurgens cum cicatricibus non solum uidendum sed etiam tangendum postmodum ostendit, sed secundum illam ineffabilem lucem, qua inluminat omnem hominem uenientem in hunc mundum, secundum quam lucet in tenebris et tenebrae eum non conprehendunt illuc nos praecessit, unde ad nos ueniens non recessit et quo nos praecedens non deseruit. illa erit reuelatio tamquam uera Galilaea, cum similes ei erimus; ibi eum uidebimus sicuti est. ipsa erit etiam beatior transmigratio ex isto saeculo in illam aeternitatem, si eius praecepta sic amplectamur, ut ad eius dexteram segregari mereamur. tunc enim ibunt sinistri in conbustionem aeternam, iusti autem in uitam aeternam. hinc illuc transmigrabunt et ibi eum uidebunt, quomodo non uident inpii. tolletur enim inpius, ut non uideat claritatem domini, et inpii lumen non uidebunt. haec est autem, inquit, uita aeterna, ut cognoscant te unum uerum deum et quem misisti legum Christum, sicut in illa aeternitate cognoscitur, quo seruos perducet per formam serui, ut liberi contemplentur formam domini.

# Liber Qvartus

Nunc iam quoniam Matthei narrationem contextim considerantes et ei tres alios conferentes usque in finem in nullo eos uel sibi uel inter se repugnare docuimus, Marcum similiter uideamus, ut exceptis his quae cum Mattheo dixit, de quibus iam quod disserendum uidebatur absoluimus, cetera eius inspecta adque conlata nulli eorum repugnare monstrentur usque ad cenam domini. nam inde iam omnia omnium quattuor, quemadmodum sibi conueniant, usque in finem considerata tractauimus.

Sic ergo incipit Marcus: xinitium euangelii Iesu Christi filii dei. sicut scriptum est in Esaia propheta, et cetera usque ad illud ubi ait: et ingrediuntur Capharnaum et statim sabbatis ingressus synagogam docebat eos. in hac tota contextione omnia superiora cum Mattheo considerata sunt. hoc autem Marcus, quia ingressus Capharnaum in synagogam eorum docebat eos sabbatis, cum Luca dixit, sed nihil habet quaestionis.

II. Sequitur Marcus et dicit: et stupebant super doctrinam eius; erat enim docens eos quasi potestatem habens et non sicut scribae eorum. et erat in synagoga eorum homo in spiritu inmundo et exclamauit dicens: quid nobis et tibi. Iesu Nazarene? uenisti perdere nos, et cetera usque ad eum locum, ubi ait: et erat praedicans in synagogis eorum et omni Galilaea et demonia eiciens. et in hoc toto loco quamuis sint quaedam quae cum solo Luca dixit, tamen iam tractata sunt, cum Matthei narrationem continuam teneremus, quia in ipsum ordinem sic incurrerant, ut ea praetermittenda non arbitrarer. sed Lucas de spiritu inmundo ait, quod sic exierit ab homine. ut nihil ei noceret. Marcus autem: et discerpens cum, inquit, spiritus inmundus exclamans uoce magna exiit ab eo. potest ergo uideri contrarium: quomodo enim discerpens uel, sicut aliqui codices habent, conuexans eum, cui nihil nocuit secundum Lucam? sed et ipse Lucas: et cum proiecisset illum, inquit, demonium in medium, exiit ab illo nihilque ei nocuit. unde intellegitur hoc dixisse Marcum conuexans eum quod Lucas dixit cum proiecisset eum in medium, ut quod secutus ait nihilque ei nocuit hoc intellegatur, quod illa iactatio membrorum adque uexatio non eum debilitauit, sicut solent exire demonia etiam quibusdam membris amota uexatione elisis.

Sequitur idem Marcus: et uenit ad eum leprosus deprecans eum et genu flexo dixit: si uis, potes me mundare, et cetera usque ad illud ubi ait: et clamabant dicentes: tu es filius dei. et uehementer comminabatur eis, ne manifestarent illum. huic quod ultimum posuimus simile aliquid et Lucas dicit, sed sine aliqua repugnantiae quaestione. sequitur Marcus:

et ascendens in montem uocauit ad se quos uoluit ipse et uenerunt ad eum. et fecit, ut essent duodecim cum illo, et ut mitteret eos praedicate. et dedit illis potestatem curandi infirmitates et eiciendi demonia. et inposuit Simoni nomen Petrus, et cetera usque ad illud ubi ait: et abiit et coepit praedicare in Decapoli, quanta sibi fecisset Iesus, et omnes mirabantur. de nominibus discipulorum iam et antea me locutum scio, cum Matthei ordinem sequerer, et hic rursus admoneo, ne quisquam putet nunc accepisse nomen Simonem, ut Petrus uocaretur, et sit contrarium Iohanni, qui longe ante illi dictum esse commemorat: tu uocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus. ipsa enim uerba domini commemorauit, quibus ei nomen inposuit; Marcus autem hoc loco id recapitulando commemorauit, cum ait: et inposuit Simoni nomen Petrus. cum enim uellet nomina duodecim apostolorum enumerare et necesse haberet Petrum dicere, breuiter insinuare uoluit, quod non \'hoc ante uocaretur, sed hoc ei dominus nomen inposuerit non tunc, sed quando Iohannes ipsa uerba domini posuit. cetera nihil repugnant et ante iam pertractata sunt.

IIII. Sequitur Marcus: et cum transcendisset Iesus in naui rursus trans fretum, conuenit turba multa ad illum et erat circa mare, et cetera usque ad illud ubi ait: et conuenientes apostoli ad legum renuntiauerunt illi omnia quae egerant et docuerant. hoc ultimum dixit cum Luca nihilo discordans, cetera iam ante tractata sunt. sequitur Marcus: et ait illis: uenite seorsum in desertum locum et requiescite pusillum, et cetera usque ad illud ubi ait: quanto autem eis praecipiebat, tanto magis plus praedicabant et eo amplius admirabantur dicentes: bene omnia fecit, et surdos fecit audire et mutos loqui; in his cum Luca Marcus nihil est quod repugnare uideatur et superiora omnia iam considerauimus, quando eos Mattheo conferebamus. sed cauendum est, ne quisquam arbitretur hoc quod in ultimo ex euangelio Marci posui repugnare omnibus qui eum aliis eius plerisque factis et dictis ostendunt scisse, quid ageretur in hominibus, id est quod eum cogitationes et uoluntates eorum latere non poterant, sicut apertissime Iohannes dicit: ipse autem Iesus non credebat semet ipsum eis eo quod ipse nosset omnes et quia opus ei non erat, ut quis testimonium perhiberet de homine; ipse enim sciebat, quid esset in homine. sed quid mirum, si praesentes hominum uoluntates uidebat, qui etiam futuram Petro praenuntiauit, quam tunc utique non habebat, quando pro illo uel cum illo paratum se mori praesumebat? quae cum ita sint. quomodo huic eius tantae scientiae et praescientiae non est contrarium quod Marcus dicit: praecepit illis, ne cui dicerent; quanto autem eis praecipiebat, tanto magis plus praedicabant? si enim sciebat eos sicut ille qui notas habebat et praesentes et futuras hominum uoluntates tanto magis praedicaturos, quanto magis, ne praedicarent, eis praecipiebat, utquid hoc praecipiebat, nisi quia pigris uolebat ostendere, quanto studiosius quantoque feruentius eum praedicare debeant quibus iubet. ut praedicent, quando illi qui prohibebantur tacere non poterant?

V. Sequitur Marcus: lin illis diebus iterum ctfm turba multa esset nec haberent quod manducarent, et cetera usque ad illud ubi ait: respondit illi Iohannes dicens: magister, uidimus quendam in nomine tuo eicientem demonia, qui non sequitur nobiscum, et prohibuimus eum. Iesus autem ait: nolite prohibere eum; nemo est enim qui faciat uirtutem in nomine meo et possit cito male loqui de me; qui enim non est aduersum uos pro uobis est. hoc Lucas

similiter narrat, nisi quod ipse non dicit: \'nemo est qui faciat uirtutem in nomine meo et possit cito male loqui de me.\' nulla est ergo inter eos quaestio cuiusquam repugnantiae. sed uidendum est, ne hoc illi sententiae domini putetur contrarium ubi ait: qui mecum non est, aduersus me est; et qui mecum non colligit, spargit. quomodo enim iste non erat aduersus eum. qui cum illo non erat, de quo Iohannes suggessit, quod cum illis eum non sequebatur, si aduersus illum est qui non est cum illo? aut si aduersus illum erat, quomodo dicit discipulis: nolite prohibere; qui enim non est aduersus uos, pro uobis est? an hoc interesse aliquis dicet, quia hic discipulis ait: qui non est aduersus uos, pro uobis est, ibi autem de se ipso locutus est: qui mecum non est, aduersus me est? quasi uero possit cum illo non esse qui discipulis eius tamquam membris eius sociatur. alioquin quomodo uerum erit: qui uos recipit, me recipit, et: quando uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis? aut potest etiam non esse aduersus eum, qui fuerit aduersus discipulos eius? nam ubi erit illud: qui uos spernit, me spernit, et: quando uni ex minimis meis non fecistis. neque mihi fecistis, et: Saule, Saule, quid me persequeris? cum discipulos eius persequeretur? sed nimirum hoc uult intellegi in tantum cum illo non esse aliquem, in quantum est aduersus illum, et in tantum aduersus illum non esse, in quantum cum illo est. exempli gratia, sicut iste ipse qui in nomine Christi uirtutes faciebat et in societate discipulorum Christi non erat, in quantum operabatur uirtutes in illo nomine, in tantum cum ipsis erat et aduersus eos non erat; in quantum uero eorum societati non adhaerebat, in tantum cum ipsis non erat et aduersus eos erat. sed quia illi hoc eum facere prohibuerunt, in quo cum ipsis erat, dixit eis dominus: nolite prohibere. illud enim prohibere debuerunt quod extra eorum erat societatem, ut illi unitatem ecclesiae suaderent, non illud, in quo cum illis erat, nomen scilicet magistri et domini eorum in demoniorum expulsione commendans. sicut catholica ecclesia facit non inprobans in hereticis sacramenta communia; in his enim nobiscum sunt et aduersus nos non sunt; sed inprobat et prohibet diuisionem ac separationem uel aliquam aduersam paci ueritatique sententiam; in hoc enim aduersus nos sunt, quia in hoc nobiscum non sunt et nobiscum non colligunt et ideo spargunt.

VI. SequiturMarcus et dicit: *°quisquis enim potum dederit uobis calicem aquae in nomine meo, quia Christi estis, amen dico uobis, non perdet mercedem suam. et quisquis scandalizauerit unum ex his pusillis credentibus in me, bonum est ei magis, si circumdaretur mola asinaria collo eius et in mare mitteretur. et si scandalizauerit te manus tua, abscide illam; bonum est tibi debilem introire in uitam quam duas manus habentem ire in gehennam, ignem inextinguibilem, ubi uermis eorum non moritur et ignis non extinguitur, et cetera usque ad illud ubi ait: habete in uobis salem et pacem habete inter uos. haec Marcus dominum locutum, posteaquam illum qui in nomine eius eiciebat demonia et cum discipulis non eum sequebatur uetuit prohiberi, contextim commemorat aliqua ponens, quae nullus alius euangelistarum posuit, aliqua uero, quae Mattheus quoque posuit, et aliqua itidem, quae et Mattheus et Lucas, sed et illi ex aliis occasionibus et in alio rerum ordine, non hoc loco, ubi de illo suggestum est, qui cum discipulis Christi non eum sequebatur et demonia in eius nomine eiciebat. unde mihi uidetur etiam hoc loco dominus secundum Marci fidem ideo dixisse quae aliis etiam locis dixit, quia satis pertinebant ad hanc ipsam eius senten-

tiam, qua uetuit prohiberi uirtutes in nomine suo fieri, etiam ab illo qui cum discipulis eum non sequebatur. sic enim contexit: qui enim non est aduersum uos, pro uobis est. quisquis enim potum dederit uobis calicem aquae in nomine meo, quia Christi estis, amen dico uobis, non perdet mercedem suam. unde ostendit etiam illum, de quo Iohannes suggesserat et unde iste eius sermo exortus est, quod non ita separabatur a societate discipulorum, ut eam tamquam hereticus inprobaret, sed sicut solent homines nondum audere Christi suscipere sacramenta et tamen nomini fauere christiano, ita ut Christianos etiam suscipiant et non ob aliud eis, nisi quia Christiani sunt, obsequantur, de qualibus dicit, quod non perdunt mercedem suam, non quia iam tuti adque securi sibi debent uideri ex hac beniuolentia, quam erga Christianos habent, etiamsi Christi baptismo non abluantur nec unitati eius incorporentur, sed quia ita iam dei misericordia gubernantur, ut ad ea quoque perueniant adque ita securi de hoc saeculo abscedant. qui profecto, et priusquam Christianorum numero socientur, utiliores sunt quam hi qui, cum iam Christiani appellentur et christianis sacramentis inbuti sint, talia suadent, ut quibus ea persuaserint secum in aeternam poenam pertrahant. quos membrorum corporalium nomine tamquam manum uel oculum scandalizantem iubet erui a corpore, hoc est ab ipsa unitatis societate. ut sine his potius ueniatur ad uitam, quam cum eis eatur in gehennam. hoc ipso autem separantur, a quibus separantur, quod eis mala suadentibus, hoc est scandalizantibus, non consentitur. et si quidem omnibus bonis, cum quibus eis notitia est, etiam de hac peruersitate innotescunt, ab omnium penitus societate adque ab ipsa diuinorum sacramentorum participatione separantur; si autem quibusdam ita noti sunt, pluribus autem ista eorum est ignota peruersitas, ita tolerandi sunt, sicut ante uentilationem palea toleratur in area, ut neque illis ad iniquitatis communionem consentiatur nec propter illos bonorum societas deseratur. hoc faciunt qui habent in se ipsis salem et pacem habent inter se.

Sequitur Marcus: xet inde exsurgens uenit in fines Iudae ultra Iordanen et conueniunt iterum turbae ad eum et, sicut consueuerat, iterum docebat illos, et cetera usque ad illud ubi ait: 44 omnes enim ex eo quod abundabat illis miserunt, haec uero de penuria sua omnia quae habuit misit, totum uictum suum. in hac tota contextione omnia superiora considerata sunt, ne quid uiderentur habere contrarium, quando cum Matthei ordine ceteros conferebamus; hoc autem de uidua paupercula, quae duo minuta misit in gazophylacium, duo soli dicunt, Marcus et Lucas, sed sine ulla quaestione concordant. hinc iam usque ad cenam domini, unde omnium omnia considerata tractauimus, non dicit et Marcus quod cogat cum aliquo conparari ad inquirendum, ne quid repugnare uideatur.,

Nunc ergo deinceps Lucae euangelium ex ordine per- tractemus exceptis eis quae habet cum Mattheo Marcoque communia, quoniam illa iam omnia pertractata sunt. sic ergo incipit Lucas: Quoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationem, quae in nobis conpletae sunt, rerum, 2 sicut tradiderunt nobis qui ab initio ipsi uiderunt et ministri fuerunt sermonis, uisum est et mihi adsecuto a principio omnibus diligenter ex ordine tibi scribere, optime Theofile, ut cognoscas eorum uerborum, de quibus eruditus es, ueritatem. hoc principium ad euangelii narrationem nondum pertinet. admonet autem, ut nouerimus eundem Lucam etiam illum librum scripsisse, qui actus apostolorum uocatur. non solum, quia The-

ofili nomen etiam illic inest — nam posset fieri, ut et alius aliquis Theofilus esset et, si idem ipse esset, ab alio ad illum aliquid scriberetur sicut a Luca euangelium —, sed quia et ibi ita exorsus est, ut diceret: primum quidem sermonem de omnibus feci, o Theofile, quae coepit Iesus facere et docere usque in diem, quo apostolos elegit, per spiritum sanctum mandans iussit praedicare euangelium, dedit intellegi, quod iam scripserit euangelii librum unum ex quattuor, quorum est in ecclesia sublimis auctoritas. nec ideo, quia dixit de omnibus se fecisse sermonem quae coepit Iesus facere et docere usque in diem, quo mandauit apostolis, putari debet omnia scripsisse in euangelio suo quae Iesus cum apostolis in terra uersatus fecit et dixit, ne sit contrarium Iohanni, qui ait multa alia fecisse Iesum, quae si scriberentur, mundum totum non potuisse capere illos libros, cum etiam constet ab aliis euangelistis non pauca narrata, quae Lucas ipse narrando non adtigit. de omnibus ergo fecit sermonem eligendo de omnibus, unde faceret sermonem, quae iudicauit apta et congrua sufficere officio dispensationis suae. et quod dicit multos conatos ordinare narrationem, quae in nobis conpletae sunt. rerum. uidetur significare nonnullos, qui non potuerunt hoc susceptum munus implere; ideo autem dicit sibi uisum esse ex ordine diligenter scribere, quoniam multi conati sunt; sed eos debemus accipere, quorum in ecclesia nulla extat auctoritas, quia id quod conati sunt implere minime potuerunt iste autem non solum usque ad resurrectionem adsumtionemque domini perduxit narrationem suam, ut in quattuor auctoribus euangelicae scripturae dignum suo labore haberet locum, uerum etiam deinceps quae per apostolos gesta sunt, quae sufficere credidit ad aedificandam fidem legentium uel audientium, ita scripsit, ut solus eius liber fide dignus haberetur in ecclesia de apostolorum actibus narrantis reprobatis omnibus qui non ea fide, qua oportuit, facta dictaque apostolorum ausi sunt scribere. eo quippe tempore scripserunt Marcus et Lucas, quo non solum ab ecclesia Christi, uerum etiam ab ipsis adhuc in carne manentibus apostolis probari potuerunt.

Sic ergo narrare Lucas incipit euangelium: 6 fuit in die- bus Herodis, regis Iudae, sacerdos quidam nomine Zacharias de uice Abia et uxor illi de filiabus Aaron et nomen eius Elisabeth, et cetera usque ad eum locum, ubi ait: ut cessauit autem loqui, dixit ad Simonem: duc in altum et laxate retia uestra in capturam. hoc totum non habet ullam repugnantiae quaestionem. Iohannes quidem uidetur simile aliquid dicere, sed illud longe aliud est, quod factum est post resurrectionem domini ad mare Tiberiadis. ibi enim non solum ipsum tempus ualde diuersum est, sed etiam res ipsa plurimum distat. nam retia illic in dextram partem missa centum quinquaginta tres pisces ceperunt, magnos quidem, sed pertinuit ad euangelistam dicere, quod, cum tam magni essent, retia non sunt disrupta, respicientem scilicet ad hoc factum, quod Lucas commemorat, ubi prae multitudine piscium retia rumpebantur. iam cetera similia Iohanni Lucas non dixit nisi circa domini passionem et resurrectionem. qui totus locus a cena ipsius usque ad finem sic a nobis tractatus est, ut omnium conlatis testimoniis nihil eos dissentire doceremus.

X. Iohannes est reliquus, qui iam non restat cui conferatur. quidquid enim singuli dixerunt, quae ab aliis non dicta sunt, difficile est, ut habeant aliquam repugnantiae quaestionem. ac per hoc liquido constat tres istos, Mattheum scilicet. Marcum et Lucam, maxime circa

humanitatem domini nostri Iesu Christi esse uersatos, secundum quam et rex et sacerdos est. et ideo Marcus, qui in illo mysterio quattuor animalium hominis uidetur demonstrare personam, uel Matthei magis comes uidetur, quia cum illo plura dicit propter regiam personam, quae incomitata esse non solet, quod in primo libro commemoraui, uel, quod probabilius intellegitur, cum ambobus incedit. nam quamuis Mattheo in pluribus, tamen in aliis nonnullis Lucae magis congruit, ut hoc ipso demonstretur ad leonem et ad uitulum, hoc est et ad regalem, quam Mattheus, et ad sacerdotalem, quam Lucas insinuat personam, id quod Christus homo est, pertinere, quam figuram Marcus gerit pertinens ad utrumque. diuinitas uero Christi, qua aequalis est patri, secundum quod uerbum est et deus aput deum et uerbum caro factus est, ut habitaret in nobis, secundum quod ipse et pater unum sunt, a Iohanne maxime commendanda suscepta est, qui sicut aquila in his quae Christus sublimius locutus est inmoratur nec in terram quodammodo nisi raro descendit. denique quamuis matrem Christi se nosse plane testetur, tamen nec in eius natiuitate cum Mattheo etLuca aliquid dicit nec eius baptismum cum tribus commemorat, sed tantum modo ibi testimonium Iohannis alte sublimiterque commendans relictis eis pergit cum illo ad nuptias in Canan Galilaeae, ubi, quamuis ipse euangelista matrem eius fuisse commemoret, ille tamen dicit: quid mihi et tibi est, mulier? non repellens, de qua suscepit carnem, sed suam tunc maxime insinuans diuinitatem aquam conuersurus in uinum, quae diuinitas illam etiam feminam fecerat, non in illa facta erat.

Inde post paucos dies factos in Capharnaum redit ad templum, ubi eum dixisse commemorat de templo corporis sui: soluite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud. ubi maxime insinuat non solum, quia deus erat in templo uerbum caro factum, uerum etiam quia eandem carnem ipse resuscitauit non utique nisi secundum id quod unum est cum patre nec separabiliter operatur, cum ceteris locis fortassis omnibus scriptura non dicat, nisi quod deus illum suscitauerit, nec alicubi sic expressum est, quod cum deus resuscitarit Christum, etiam ipse se resuscitauit, quia cum patre unus deus est, sicut hoc loco, ubi ait: soluite templum hoc, et tribus diebus suscitabo illud.

Inde cum illo Nicodemo quam magna, quam diuina locutus est! inde rursus pergit ad testimonium Iohannis et commendat amicum sponsi non gaudere nisi propter uocem sponsi. ubi admonet animam humanam non de se ipsa sibi lucere nec beari nisi incommutabilis participatione sapientiae. inde ad mulierem Samaritanam, ubi commemoratur aqua, unde qui biberit non sitiet in aeternum. inde rursus in Canan Galilaeae, ubi fecerat de aqua uinum. ubi eum commemorat dixisse regulo, cuius filius infirmabatur: nisi signa et prodigia uideritis, non creditis, usque adeo supra omnia mutabilia uolens mentem credentis adtollere, ut nec ipsa miracula, quae quamuis diuinitus de mutabilitate corporum fiunt, a fidelibus quaeri uelit.

Inde Hierosolymam redit; fit sanus triginta octo annorum languidus. ex hac occasione quae dicuntur! quam diu dicuntur! ibi dictum est: quaerebant eum Iudaei interficere, quia non solum soluebat sabbatum, sed et patrem suum dicebat deum aequalem se faciens deo. ubi satis ostenditur, quam non usitate, sicut solent sancti homines dicere, dixerit patrem suum

deum, sed quod ei sit aequalis insinuans; quippe paulo superius dixerat eis de sabbato calumniantibus: pater meus usque modo operatur, et ego operor. ibi exarserunt, non quia patrem suum diceret deum, sed quod ei aequalis uellet intellegi dicendo: pater meus usque modo operatur, et ego operor, consequens esse ostendens, ut, quoniam pater operatur, et filius operetur, quia pater sine filio non operatur. ibi enim et paulo ante ait iam illis ob hoc irascentibus: quaecumque enim ille fecerit, haec et filius similiter facit.

Inde tandem descendit Iohannes ad illos tres cum eodem domino in terra gradientes, ut quinque milia panibus quinque pascantur, ubi tamen solus commemorat, quod, cum uellent eum regem facere, solus fugit in montem. qua in re nihil mihi aliud uidetur animam rationalem commonere uoluisse, nisi eo se nostrae menti rationique regnare, quo est in excelsis nulla cum hominibus communione naturae solus, quia unicus patri. hoc autem mysterium deorsum repentes carnales homines fugit, quia ualde sublime est, unde illos et ipse fugit in montem, qui regnum eius terreno animo requirebant, unde et alibi dicit: regnum meum non est de hoc mundo. neque etiam hoc nisi Iohannes ipse commemorat uolatu quodammodo aetherio supereminens terris et gaudens luce solis iustitiae. ab illo itidem monte post miraculum de quinque panibus factum, cum isdem tribus paululum remoratus, donec mare transissent, quando ambulauit super aquas, continuo rursus se in uerbum domini attollit, quam magnum, quam prolixum, quam diu supernum et excelsum, ex occasione panis exortum, cum dixisset turbis: amen, amen dico uobis, quaeritis me, non quia signa uidistis, sed quia edistis de panibus et satiati estis; operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet in uitam aeternam, et inde iam talia diutissime adque excelsissime. tunc ab ista uerbi celsitudine ceciderunt, qui post eum deinceps non ambulauerunt, cui sane inhaeserunt, qui potuerunt intellegere: spiritus est qui uiuificat, caro autem nihil prodest, quia utique et per carnem spiritus prodest et solus spiritus prodest, caro autem sine spiritu nihil prodest.

Deinde suis fratribus, id est cognatis carnis suae, suggeren. tibus, ut ascendat ad diem festum, quo possit innotescere multitudini, quanta altitudine respondit: tempus meum nondum aduenit, tempus autem uestrum semper est paratum. non potest mundus odisse uos; me autem odit, quia ego testimonium perhibeo de illo, quia opera eius mala sunt! hoc est ergo: tempus uestrum semper est paratum, quia uos diem istum concupiscitis, de quo propheta dicit: ego autem non laboraui subsequens te, domine, et diem hominum non concupiui; tu scis. hoc est uolare ad lucem uerbi et concupiscere illum diem, quem uidere concupiuit Abraham et uidit et gauisus est. inde iam ad diem festum cum ascendisset in templum, quae illum Iohannes locutum esse commemorat, quam mirabilia, quam diuina, quam excelsa! quod ipsi uenire non possent, quo esset iturus, quod et ipsum nossent et unde esset scirent, et esset uerus qui eum miserit, quem illi nescirent, tamquam diceret: (et unde sim scitis et unde sim nescitis.\' quod quid aliud uoluit intellegi nisi secundum carnem notum se illis esse potuisse et gente et patria, secundum diuinitatem autem incognitum? ibi etiam de dono spiritus sancti locutus ostendit, quis esset, quando munus altissimum dare potuisset.

Rursus illuc de oliueti monte regredientem quae et quanta narrat locutum post ueniam illi adulterae datam, quae uelut lapidanda illi oblata a temtatoribus fuerat, quando digito scribebat in terra, tamquam illos tales in terra scribendos significaret et non in caelo, ubi monuit discipulos se scriptos esse gauderent, aut quod se humilando, quod capitis inclinatione monstrabat, signa in terra faceret, aut quod iam tempus esset, ut in terra, quae fructum daret, non in lapide sterili, sicut antea, lex eius conscriberetur! ergo post haec lucem mundi se dixit et qui eum sequeretur non ambulaturum in tenebris, sed habiturum lucem uitae. dixit etiam se esse principium, quod et loqueretur eis. quo nomine utique se distinxit ab illa luce, quam fecit, tamquam lux, per quam facta sunt omnia, ut illud, quod se dixerat lucem mundi, non sic acciperetur, quemadmodum discipulis ait: uos estis lux mundi, tamquam lucerna, quae non est ponenda sub modio, sed super candelabrum, sicut et de Iohanne baptista: ille erat, inquit, lucerna ardens et lucens, sed ipse sicut principium, de quo dictum est: nos omnes de plenitudine eius accepimus. ibi dixit se filium esse ueritatem, quae nisi liberauerit, nemo erit liber.

Inde posteaquam inluminauit a natiuitate caecum, ex ipsa occasione in prolixo eius sermone demoratur Iohannes, de ouibus et pastore et ianua et de potestate ponendi animam suam et iterum sumendi eam, in quo excellentissimam potestatem suae diuinitatis ostendit. inde cum encenia in Hierosolymis fierent, commemorat ei dixisse Iudaeos: quo usque animam nostram tollis? si tu es Christus, dic nobis palam. adque inde sumta oportunitate sermonis, quae etiam sublimia dixerit, narrat. ibi dixit: ego et pater unum sumus. inde iam resuscitatum ab eo Lazarum praedicat, ubi dixit: ego sum resurrectio et uita; qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, uiuet; et omnis qui uiuit et credit in me, non morietur in aeternum. in quibus uerbis quid nisi altitudinem diuinitatis eius agnoscimus, cuius in aeternum participatione uiuemus? inde iterum Iohannes occurrit in Bethania Mattheo et Marco, ubi factum est illud de unguento pretioso, quo pedes eius a Maria caputque perfusum est, adque hinc deinceps usque ad passionem et resurrectionem domini cum tribus euangelistis Iohannes graditur, sed in locis eisdem narratione uersante.

Ceterum quod ad sermones domini adtinet, non cessat se adtollere in ea quae ille abhinc etiam sublimiter diuturneque locutus est. nam et quando eum uoluerunt uidere gentiles per Philippum et Andream, habuit excelsum sermonem, quem aliorum euangelistarum nullus inseruit; ibi praeclara iterum de luce inluminante et lucis filios faciente commemorat. deinde in ipsa cena, de qua euangelistarum nullus tacuit. quam multa et quam excelsa uerba eius Iohannes commemorat, quae alii tacuerunt! non solum de commendatione humilitatis, quando pedes discipulorum lauit, sed, cum expressus per buccellam traditor eius exisset, remanentibus cum illo undecim, in sermone ipsius mirabiliter stupendo maximeque diuturno idem Iohannes inmoratus est, ubi dixit: qui uidit me, uidit et patrem. ubi multa locutus est de spiritu sancto paracleto, quem missurus eis erat, et de sua clarificatione, quam habuit aput patrem, priusquam mundus esset, et quod unum nos faceret in se, sicut ipse et pater unum sunt, non ut ipse et pater et nos unum, sed nos unum sicut ipsi unum, multaque alia mireque sublimia, de quibus disserere, sicut dignum est, etiamsi iam essemus idonei, in hoc tamen opere non id nos suscepisse quis non aduertat? quod alibi fortasse reddendum

est, hic certe non est expetendum. commendare quippe uoluimus amatoribus uerbi dei et studiosis sanctae ueritatis, quamuis eiusdem Christi, qui uerus et uerax est, adnuntiator adque praedicator Iohannes in euangelio suo fuerit, cuius et ceteri tres, qui scripserunt euangelium, et ceteri apostoli, qui non quidem ipsam narrationem scribendam susceperunt, in ea tamen praedicatione sui officii munus implerunt, longe tamen hunc in Christi altiora subuectum ab ipso initio libri sui raro fuisse cum ceteris, id est primo circa Iordanen propter testimonium Iohannis baptistae, inde trans mare Tiberiadis, quando turbas de quinque panibus pauit et super aquas ambulauit, tertio in Bethania, ubi unguento pretioso fidelis feminae deuotione perfusus est, donec inde illis occurreret ad passionis tempus, quod cum eis erat necessario narraturus, ubi tamen ipsam dominicam cenam, de qua nullus eorum tacuit, multo opulentius tamquam de cellario dominici pectoris, ubi discumbere solebat, exhibuit. ipsum deinde Pilatum uerbis altioribus percutit dicens regnum suum non esse de hoc mundo regemque se natum et ad hoc uenisse in hunc mundum, ut testimonium perhibeat ueritati. Mariam quoque post resurrectionem mystica altitudine uisitans: noli me, inquit, tangere; nondum enim ascendi ad patrem. discipulis etiam insuflando dedit spiritum sanctum, ne ipse spiritus, qui trinitati consubstantialis et coaeternus est, tantum modo patris esse, non etiam filii spiritus putaretur.

Postremo suas oues Petro se amanti eumque amorem ter confitenti commendans dicit eundem Iohannem sic se uelle manere, donec ueniat. ubi etiam mihi uidetur alto docuisse mysterio istam ipsam Iohannis euangelicam dispensationem, qua in lucem liquidissimam uerbi sublimiter fertur, ubi trinitatis aequalitas et incommutabilitas uideri potest, et qua maxime proprietate distet a ceteris homo, cuius susceptione uerbum caro factum est, perspicue cerni cognoscique non posse, nisi cum ipse dominus uenerit. ideo sic manebit, donec ueniat. manebit autem nunc in fide credentium, tunc autem facie ad faciem contemplandum erit, cum apparuerit uita nostra et nos cum ipso apparebimus in gloria. quisquis autem arbitratur homini uitam istam mortalem adhuc agenti posse contingere, ut dimoto adque discusso omni nubilo phantasiarum corporalium adque carnalium serenissima incommutabilis ueritatis luce potiatur et mente penitus a consuetudine uitae huius alienata illi constanter et indeclinabiliter haereat, nec quid quaerat nec quis quaerat intellegit. credat ergo potius sublimi auctoritati minimeque fallaci, quamdiu sumus in corpore, peregrinari nos a domino et ambulare per fidem, nondum per speciem; ac sic perseueranter retinens adque custodiens fidem, spem et caritatem intendat in speciem ex pignore, quod accepimus, sancti spiritus, qui nos docebit omnem ueritatem, cum deus, qui suscitauit legum Christum a mortuis, uiuificabit et mortalia corpora nostra per inhabitantem spiritum eius in nobis. prius autem quam uiuificetur hoc quod mortuum est propter peccatum, procul dubio corruptibile est et adgrauat animam, et si quando adiuta excedit hanc nebulam, qua tegitur omnis terra, id est hanc carnalem caliginem, qua tegitur omnis uita terrena, tamquam rapida coruscatione perstringitur et in suam infirmitatem redit uiuente desiderio, quo rursus erigatur, nec sufficiente munditia, qua figatur. et quanto quisque hoc magis potest, tanto maior est. quanto autem minus, tanto minor. si autem nihil adhuc tale mens hominis experta est, in qua tamen habitat Christus per fidem, instare debet

minuendis finiendisque cupiditatibus huius saeculi moralis uirtutis actione tamquam in comitatu trium illorum euangelistarum cum mediatore Christo ambulans. eum qui filius dei semper est propter nos filium hominis factum, ut sempiterna uirtus eius et diuinitas nostrae infirmitati et mortalitati contemperata de nostro nobis in se adque ad se faceret uiam, cum magnae spei laetitia fideliter teneat. ne peccet, a rege Christo regatur; si forte peccauerit, ab eodem sacerdote Christo expietur adque ita in actione bonae conuersationis et uitae nutritis pinnis geminae dilectionis tamquam duabus alis ualidis euectus a terris ab eodem ipso Christo uerbo inluminetur, uerbo, quod in principio erat et uerbum aput deum erat et uerbum deus erat, etsi per speculum et in enigmate, longe tamen sublimius ab omni similitudine corporali. quapropter, quamuis in illis tribus actiuae, in Iohannis autem euangelio dona contemplatiuae uirtutis eluceant eis qui haec dinoscere sunt idonei, tamen et hoc Iohannis, quoniam ex parte est, sic manebit, donec ueniat quod perfectum est. et alii quidem datur per spiritum sermo sapientiae, alii sermo scientiae secundum eundem spiritum; alius diem domino sapit, alius de pectore domini liquidius aliquid bibit, alius leuatus usque ad tertium caelum ineffabilia uerba audit, omnes tamen, quamdiu sunt in corpore, peregrinantur a domino et omnibus bonae spei fidelibus in libro uitae scriptis seruatur quod dictum est: et ego diligam eum et ostendam me ipsum illi. uerum tamen in hac peregrinatione quantum rei huius intellegentia uel scientia quisque profecerit, tanto magis caueat diabolica uitia superbiam et inuidentiam. meminerit hic ipsum euangelium Iohannis, quam multo amplius erigit. ad contemplationem ueritatis, tam multo amplius praecipere de dulcedine caritatis. et quia illud praeceptum uerissimum ac saluberrimum est: quanto magnus es, tanto humilita te in omnibus, qui euangelista Christum longe ceteris altius commendat, aput eum discipulis pedes lauat.

---

**Source.** Latin text from the Corpus Scriptorum Ecclesiasticorum Latinorum (CSEL) collection of the Open Greek and Latin project (digital edition of ***Sancti Aureli Augustini Opera*** edited by Franz Weirich (Prague, Vienna, Leipzig, F. Tempsky, G. Freytag: 1904) Corpus scriptorum ecclesiasticorum Latinorum 43), encoded in EpiDoc TEI XML. Digitised and corrected by the Open Greek and Latin team (University of Leipzig and partners); the text is taken from the printed edition by OCR with correction, so some errors may remain. SermonIndex has only divided it into short sections for reading; the critical notes, margin notes and apparatus of the printed edition are not shown here but are kept in the XML download.

**Licence.** Creative Commons Attribution-ShareAlike 4.0 International (CC BY-SA 4.0). You may share and adapt this text if you credit the Open Greek and Latin project and release your version under the same licence.